GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 4, [1] - -

Leibn. Marg.

0, 1

Randnoten von Leibniz

KM.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 4, [2] - -

Discursus Politicus
DE
INCREMENTIS IMPERIORUM, EORUMQUE AMPLITUDINE procurandâ.

CUI INSERTA EST
Dissertatio singularis, De Novo Orbe.


AUCTORE,

CHRISTOPHORO BESOLDO, JCto.



ARGENTORATI,
Impensis Hæredum LAZARI ZETZNERI.
Anno M DC XXIII.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 4, [3] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 4, [4] - -

Discursus Politicus,

DE

INCREMENTIS IMPERIORUM, EORUMQUE amplitudine procurandâ.

CAP. I.

Amplificationi, seu augmento Reipublicæ operam dandam esse.

IMperij Natura, ad Amplificationem suâ sponte incitatur: quia, quò augustius, amplius & potentius, Regnum quodque est; eò firmius, tutius, & diuturnius habetur. Quodlibet autem, adpetit conservationem sui: dum verò ritè Respublica conservatur, ea sui naturâ augetur, estq; amplificatio, fructus conservationis. Quippè quemadmodum arbores culturâ crescunt: ita & Respublica, si rectè administretur. Et usu quoque constat, amplissimis Regni finibus, subditos sub Rege maxumo beatiùs vivere. Sunt namque hac ratione, ab injuriis Principum finitimorum tutiorès; & bellis civilibus, quæ ab impotenti potentiorum cupiditate oriuntur, vacant plerunque: cùm potentissimi Regis Imperio facillimè coerceantur. Ac quemadmodum sub Rege maxumo atque potenti, cui satis superque est, undè cupiditates explere possit, bene vivere licet: ita miserrimum est, angustâ unius Tyrannide concludi; nisi Princeps optimè à naturâ, meliùs etiam ab optimis artibus imperandi fuerit subornatus. Bodinus, *Lib. 6. de Republ. cap. 4. ad fin. num. 716. & seq.* Hincque vulgò fertur: sub Rege magno vivere, summam esse libertatem.

II. Hincque augendæ, amplificandæque Reipublicæ studium, nunquam est intermittendum: cujus etiam Cæsares nostri, glorioſissimo titulo suo admonentur; cùm Augusti, & propagatores Imperii (alſo lezeit Mehrer des Reichs) indigitantur. Herman. Kirchnerus, de Re-

pub. Disp. 15. thes. 1. lit. a. Eaque de caussâ, Palatinus Rheni, in Coronatione Imperatoris dicit: Accipe globum Sphæricum, ut omnes terræ Nationes, Romano Imperio subijcias, & Augustus Glorioſus valeas adpellari. Ioh. Cammam. *Disp. de Iurib. Maiest. 1. thes.* 109. Et pariter Imperatoris officium proprium esse reputatur: Augere & Recuperare. Imperator Iustinianus, *in proëm. Institut.* Clariss. Dn. D. Boc er, *tract. de Regal. cap. 4. num.* 24. Rectéque assertat Engelbertus Abbas Admontensis: *de ortu & fine Romani Imperii, cap.* 18. nulli Imperatori unquàm licuisse, vel licere, fines Imperij imminuere: quia tunc caderet à nomine & dignitate Augusti; quod significat, Imperium debere semper augeri, & nunquàm minui; Adeoque Imperatores contrarium facientes, non Augustos, ab augendo; sed Angustos, ab angustando fines Imperij Romani, posse adpellari. Undè illa, hodiéque usitatissima formula, in Edictis, Codicillis, Diplomatis, & Litteris ferè quibuscunque Imperialibus: *Imperator, semper Augustus.* Sunt verò qui putent, Inscriptionem hanc, non facilè cũ Adverbio *Semper*, ante Hadriani IV. Pontificis Maximi, & Imperatoris Friderici I. tẽpore inveniri, eamq; Aulicos consiliarios, ac priscos Iuris Glossatores mutuatos esse, ex Epigraphe Imperatoris Iustiniani istâ: Pius, Felix, Inclytus, Victor, ac Triumphator semper, Augustus. Accursium nempè cum assẽclis, perperàm *τὸ semper*, junxisse vocabulo Augustus: cùm potiùs præcedentibus illis; Victor, ac Triumphator, sine distinctiunculæ notâ, fuisset connectendum. Videatur Goldastus, *Tomo 1. Constitutionum Imperialium, in rationali, seu notis, ad Litteras Hadriani IV. Pontificis Maximi, & Friderici I. Imperatoris, pag.* 65. qui ait; Accursianam hanc etymologiam, nostros Interpretes exædificare Pontifices Romanos docuisse, Imperij incubatores. Verùntamen Accursius, ut aliàs nimis sæpè, omne præter meritum vapulat, à Criticâ censurâ: ita & eum hac in parte vindicat, (simulque ipsos Pontifices Goldastianâ impetitione, liberat hâc in parte) Vir Clarissimus, Dn. Thomas Lansius, *parerg. 1. subiuncto Dissertationi, de curâ Religionis*, laudans Symmachum, *epist.* 30. *lib.* 2. ubi nominat Theodosium, semper Augustum. *Et lib.* 10. idem, in titulis plerarumque Epistolarum habet: Dn. Valentiniano, semper Augusto. Dn. Theodosio, semper Augusto. DDnn. Theodosio, & Arcadio, semper Augustis. Sic & apud Auctorem Panegyrici, Maximiano, & Constantino Augustis dicti: Maximiane, velis, nolis, semper Auguste. &c. Sed nihilominus certissimum esse videtur, Augustum, primitùs non ab augendo, sed ab augurio fuisse denominatum; Et sic loca quoque religiosa, ac in quibus auguratò quid consecratur, Augusta dicuntur: *ab auctu*, vel ab avium gestu, gustuve, Sueton. *in August. cap.* 7. Vndè Ennius:

Augu-

Augusto augurio postquàm inclyta condita Roma est.

Erat vero *augere*, verbum sacrorum: & ita alibi Suetonius; augeri hostias jussit. Casaubon. *in animadvers. ad Sueton. dict. cap. 7. ibidemq; vide Interpretes alios.* De cognomento item Augusti, Lucius Forus *in calce operis.* Tractatum etiam in Senatu, an quia condidisset Imperium, Romulus vocaretur: sed sanctius & reverentius visum est nomen Augusti: ut scilicèt jam tùm, dum colit terras, ipso nomine & titulo consecraretur. Sicque Ovidius 1. *Fastorum.*

Sancta vocant Augusta patres, augusta vocantur
Templa Sacerdotum ritè dicata manu.

Et sic dicitur Augustus; veluti hominis naturâ amplior, Sacro-Sanctus, & Veneratione dignus. Græcis ἅγιος, & σεβαστὸς, vocitatur. Dionys. *Histor. Rom. lib. 53. fol. mihi 507. & alicubi* Strabo. addantur quoque Wesenbec. Mynsing. Borcholt. & reliqui *ad proëm. Institut.* Francisc. Duaren. *in Commentar. in 1. part. Pandect. cap. 1.* Sed nihilominus Accursio nostro consentit, auctumque pro incremento sumit Egesippus, qui sic scribit, *in 5. Belli Iudaici libro*: Augustus, apud Romanos nomen Imperij est, quòd augeat suos, non quod opprimat alienos.

CAP. II.

De Reipublicæ interno augmento: inprimis autem, de Aedificiorum splendore.

I. AVgetur Respublica; vel internè; vel externè (seu ut alij loqui solent; vel qualitatis, vel quantitatis ratione) quorum illud cùm fit, *Melioratio* potiùs, quàm amplificatio nominari debet. *Et internum* quidem *augmentum*; vel naturale est, vel industriale. Naturalis Reipublicæ amplificatio est, ubi prædominatur natura, quamvis industria accedat. Eaque est vel Populi multiplicatio, vel Territorij cultura. Populi multiplicatio, inprimis hìc procurari debet. Nam & plerasque gentes, quibus curæ fuit Imperij proferre fines; in id summè animum induxerunt, ut hominibus replerent, & populatent civitatem. Idque fit () per civium propagationem: hucque pertinet favor & promotio connubiorum. Hippol. à Collib. *in Principe cap. 31.* Ego *lib. 1. politic: cap. 10. n. 15. &c.* Sic apud Spartanos, cœlibes à virginum nudarum certantium spectaculo arcebantur; brumâ etiam cogebantur nudi forum obire, & in se compositam occinere cantilenam: honoris item & observantiæ

quam senioribus juvenes præstabant, expertes erant. Apud Romanos eandem ob causam, Lex Iulia, de maritandis ordinibus lata est: hâcq; uxores ducere, omnes omninò coacti fuerunt; ne orbitas in urbe prævaleret; sed potiùs ut fortiores Imperij vires, hominum adjectione fierent, & vagi concubitus, impuræque libidines reprimerentur. Sed & Educatio hâc in parte plurimùm prodest. Aegyptus olim, numero hominum, omnes ferè gentes superavit. Causſam autem frequentiæ hujus, Diodorus Siculus, *lib. 1. cap. 3. & 6.* hanc adfert; quòd filiorum educatio, minimò illis constet; propter victus & amictus frugalitatem. Hûc & Principum liberalitas accedit, quæ multùm ad propagationem prodesse solet. Ideò Coccejus Nerva, puellas puerosque, natos parentibus egestuosis, sumptu publico ali jussit. Sicque Adrianus, pueris & pullis, quibus etiam Trajanus detulerat alimenta, incrementum liberalitatis adiecit. Spartian. *in Adrian.* Populus etiam multiplicatur, (2) cùm alienæ Reipublicæ homines, sese nobis ut aggregent, illiciis variis invitantur. Idque fit; si alii vident, in nostrâ Republicâ, summâ curâ, communem foveri libertatem, publicamque salutem. Sic & à Cadmo, per manus acceptum est Ius asyli: & Leges item tutelares, quibus peregrinos Romæ fovebant; ut jam olim Athenis, Ephesi, ac Thebis. Priscisque ferè omnibus studium fuit, alienigenas adsciscendi, ascitos receptosque fovendi, honores amplissimos conferendi, privilegia tribuendi, immunitates concedendi. Pluribus item Xenophon, *in prudentißimo Discursu de ratione redituum*, de advenarum curâ agit: huncque proventum, ex optimis esse ait. Quippè cùm illi seipsos alant, & multis commodis adficiant civitatem; non tamen ullam accipiunt mercedem, sed potiùs etiam pensionem offerunt, advenis impositam. &c. ubi & alia hâc de re subiunguntur. Ad Territorij autem culturam refero, cùm sterilia loca, fructuosa redduntur, & si quæ sunt similes rationes, quibus ingenium excolitur soli. Ego, *in Discursu de Aerario, cap. 3. num. 5.* Meritoque alicubi conqueritur Bodinus; quod deserta & inculta Galliæ loca, si aquas & vias adjungamus, duos auferant totius Regni trientes: quodq; grandium arborum tanta inopia sit, ut ad navium ac ædificiorum fabricam, ex peregrinis regionibus trabes conquirendæ sint; quodque arbores fructiferæ, antè cædantur, quàm fructum pecoribus utilem, proferre possint. Plurimùm item ligni incremento nocet, copia ferarum, quodq; sylvæ succisæ in pascua convertuntur.

II. Industriale Reipublicæ augmentum, tùm in Reipublicæ altitudine ac dignitate; tùm in facultatum ac opum, tàm publicarum, quàm privatarum copiâ consistit. Quò etiam pertinent Admiranda ædificiorum: quæ ferè magnitudinem Reipublicæ sequuntur; & ideò

maxu-

maxumâ diligentiâ ſunt procuranda. Et ita Auguſtus, moribundus gloriabatur, ſe è lateritiâ marmoream feciſſe urbem. Ejuſque rei, veteres Germani, negligentiores cùm fuiſſent: Tacitus *de moribus Germanorum*, Carolus Magnus, Henricus Auceps, Ottomes & alij, eò incubuerunt, ut Germaniam è ceſpitibus vetuſtis, erigerent in ſplendorem Imperio dignum: eaque nunc, teſtibus etiam exteris, cæteras ferè omnes gentes, urbium magnitudine, multitudine & elegantiâ ſuperare videtur. Aeneas Sylvius *in Epiſt. ad Mejer.* Sicque Iſraëlitici Imperij magnitudo, ex eo colligi poteſt; quòd Salomoni fuerunt ſeptuaginta millia eorum, qui onera portabant, & octoginta millia latomorum in monte: abſque præpoſitis, qui præerant ſingulis operibus; numero trium millium, & trecentorum. 3. Regum, *cap.* 5. Sic & Pyramidum miracula, magnitudinem adhuc monſtrant Imperij, quod olim Aegyptij habuerunt. Et nec magnitudinem ſolùm, ſed & ingenium populi illius teſtantur. Scriptum enim de ijs invenimus, nullas eas jácere umbras: undè Auſonius in Moſellâ:

— *Cui quadrato ad faſtigia cono*
Surgit, & ipſa ſuas conſumit Pyramis umbras.

Faſtigio nempè ſpacium baſis exæquant; adeò ut umbra hæreat intùs, quando maximè Sol radios ſuos ſublimis demittit: quod ingeniosè explicat, & etiam διάγραμμα σκιοθηρικὸν proponit, Ioachimus Camerarius, *quæſt. promiſcuar. decur. 9. problem.* 7. & extat *in Tom.* 4. Theſauri Critici, Dn. Gruteri. Formam quoque & molem, quales adhûc viſuntur, videre licet apud Iohannem Helffrich / in ſeiner Rayß auß Venedig nach Hieruſalem: qui tertiæ Pyramidis anfractus internos varios, miroſque graphicè, & teſtis oculatus deſcribit. Ut & Sr. de Villamont, ac Petrus Bellonus, *obſervat. lib.* 2. *cap.* 42. *& ſeqq.* vbi ad earum ſplendorem & ſuperbiam, Romanorum fabricas, & opera antiqua, nihil accedere ait. Harum item Pyramidum Hiſtoriam, Herodotus, Diodorus, Plinius, Strabo, Mela, Ammianus Marcellinus, & multi alij produnt. Referuntur etiam inter celebria miracula mundi, quorum adhûc ſex alia vulgò enumerantur. (1) Babyloniæ nempè muri, de quibus Diodorus Siculus, Plinius, Curtius, Strabo & Oſorius. (2) Coloſſus Rhodi, ſuprà portum poſitus, ex æreque magno artificio conflatus; quem Plinius & Oſorius deſcribunt; ac propter quem Rhodij Coloſſenſes dicti, cujuſque fragmenta demùm Anno Chriſti 650. tempore Martini I. Pontificis Maximi à Saracenis avecta fuerunt, Platinâ, & Sabellico teſtibus. (3) Mauſoleum, Cariæ Regis Sepulchrum. Herodotus, Strabo, Plinius, Mela, Agellius. (4) Epheſiæ Dianæ Templum. Plinius, Solinus. (5) Aegyptiaca pharus. Iulius Cæſar, Plinius, Ammianus Marcellinus. (6) Olympij Io-

pij Iovis simulachrum. Strabo, Mela. vid. Pedro Mexia, *lib. 3. de varia Lecion, cap. 32. & seq.*

III. De Magnitudine & admirandis urbis Athenarum, multis Plutarchus agit, in Pericle, *num. mihi 9. & seq.* ubi apparatum donariorum, quibus Athenas exornavit, talem fuisse ait, quòd & summæ voluptati, decorique esset urbi, & maximam apud alios admirationem excitaret; uniceque testificaretur, non esse ea conficta, quæ de potentiâ Græciæ, pristinisque divitijs referuntur. Prudentissimumque consilium ejusdem Periclis fuit, insumere pecuniam spciorum, ad urbem suam exornandam. Scilicèt ad id absolvendum, utebatur omni genere artium atque operarum; sicque & omnes artes excitabantur, & omnis manus labore occupabatur, totaque propemodùm civitas mercedem indè accipiebat, ijsdemque rebus alebatur simul, & exornabatur. Et eò quoque Periclis opera, admirationem majorem merentur; quòd parvo temporis spatio effecta, diutissimè durarunt. Nam ut Plutarchus scribit, propter elegantiam formæ, unum quodlibet eorum jam tùm antiquum videbatur; vigor autem is inerat, ut tempore Plutarchi quoque singula nova, recensque facta viderentur. Adeò floruit ijs in operibus novitas quædam, cujus formæ nulla ætas officere potuit; & inerat quoque quasi perpetuò virens, & senectæ expers anima quædam. Refertq; idem Plutarchus *in comparatione Periclis cum Fabio*: cum Magnificentiâ operum, Templorum, ædificiorumque, quibus Pericles Athenas exornavit; ne universa quidem ea, quæ Romæ ante Cæsares sunt extructa, civitatis ornandæ gratiâ, conferri mereri: adeò magnitudinem & splendorem operum Periclis, præstantiam quandam, omni comparatione superiorem habuisse. Romanæ Vrbis, Imperijque Romani magnitudinem, demonstrare satis posse videntur, vel rudera admirandorum operum illorum, quæ cùm Romæ, tùm alibi in orbe Romano, passim inveniuntur. vid. Sebast. Serlij Architecturæ opus, *lib. 3. per. discurs.* aliosque de hisce antiquitatibus, urbisq; Romanæ descriptionibus agentes: ut sunt Bernardo Gamuci, *dell' antichità della città di Roma. Marlianus in Topographia urbis Romæ. &c.* Vereque quidam;

Roma quanta fuit, ipsa ruina docet.

Heliogabalus, collegisse fertur decem millia pondo aranearum; hincq; intelligendum esse dixit, quàm magna esset Roma, *Lamprid.* ut in totâ vitâ, sic & hâc in parte absurdus. At verò Romanorum tanta opera fuerunt: ut nescias; nùm ingeniorum, an corporum, plùs quàm humanas illas vires, debeas mirari: crederes Palladem Gigantibus Architectonicam monstrâsse. vid. Lipsium, *lib. 3. admirandor. per tot.* ubi magnitudinem urbis, & suburbiorum; ædificiorum altitudinem, decorem & ornatum,

ornatum, Templorum Majeſtatem; amplitudinem fororum; Balneorum & Thermarum, in modum provinciarum (ut loquitur alicubi Ammianus) extructorum ſumptuoſitatem; artificium ſtatuarum; viarum & pontium munitiones; ac etiam miracula cloacarum, graphicè admodum depingit. Præcipuè autem Romani (qui admirandam induſtriam ſuam ubique demonſtrârunt) ex aquis maxumè mira præſtitiſſe, Plinius teſtabatur, *lib. 36. cap. 15.* hiſce verbis: Si quis diligentiùs æſtimaverit aquarum abundantiam, in publico, balneis, piſcinis, domibus, euripis, hortis, ſuburbanis, villis, ſpatioque advenientis extructos arcus, montes perfoſſos, convalles æquatas; fatebitur nil magis admirandum eſſe in toto terrarum orbe. adde Iacob. Chiffletium, *Veſontionis, part. 1. cap. 32.* Magnitudinem Hiſpanici Imperij (quod nunc Monarchiam dicitur adfectare) teſtatur maxumè Eſcuriale, quod Octavum mundi miraculum vocitant Iberi: eminens inter omnia ea, quæ noſtro ſeculo merentur admirationem. vid. la premiere Continuation, de Mercure Francois, *fol. mihi 462.* & Petri Bertij Geographicas Tabulas. Regia verè moles; in quam Philippum II. ducenties centena millia coronatorum, ſive viginti auri milliones inſumpſiſſe ferunt. Poſt Petrum Matthæum, *in Hiſtoria Henrici IV. lib. 1. narrat. 4.* Clariſſimus Dn. Lanſius, *Orat. pro Hiſpaniâ, fol. 205.* Nil illîc ad ſummam perfectionem, peritiſſimi artifices requirant: materiâ inibi rarius nil, & ne Vitruvius quidem Architecturam dederit exactiorem. Magnitudinis etiam tantæ eſt, ut vel hoſpitium præbuerit quatuor Regibus ſimul. Hortorum nitori, fontium amoenitati, umbraculis ſylvarum, ne ipſa ſe comparaverit Antiochiæ Daphne. Sed verò non ſemper ex aſpectu urbis & ædificiorum, de ejus potentiâ judicandum eſt. Nam & de Lacedæmonibus Thucydides *lib. 1. à princ.* ſcribit: ſi eorum urbs deſolaretur, Templis ſolùm, & ædificiorum areis relictis, incredibilem poſteris, poſt longiùs elapſum tempus, eorum potentiam gloriamque fore; cùm ea urbs, neque tectis frequens, neque Templis & ædificijs ſumptuoſis exornata ſit: verùm antiquo Græciæ more, vicatim fuerat habitata, imparque famæ ſuæ viſa. Sin autem idem eveniat in Athenienſium urbem; duplò majorem quàm eſt reverâ, eorum potentiam, urbis faciem intuenti appariturum. Turcæ item ab ædificationis magnificentiâ abhorrent; quòd ſuperbi, elatique, neque ſe ſuo modulo metientis animi eſſe judicant, magnificis ædibus ſtudere: ut ſi quis ſibi immortalitatem, & perpetuam manſionem, in hâc vitâ polliceatur. Domibus ita utuntur, ut diverſorijs peregrinantes: in quibus ſi ſint à latronibus, à frigore, à Sole, ab imbre tuti, reliquas opportunitates non requirunt. Itaque non facilè, totâ Turciâ, quamvis magni, quamvis divitis viri, non paulò elegantius aliquod ædi-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 4, [11] - 11

ficium reperire licet; vulgò tugeria & casæ habitantur, magnates hortis & balneis student, & ut pro multitudine familiæ, laxas habeant ædes: cœterum ibi nec porticus luculenta, nec atrium visendum, nec aliud quicquam magnificum, aut admirandum adparet. Busbequius, *epist.1.fol.mihi 9.b.* sed consistit magnitudo imperij Turcici, in vastatione & ruinâ nationum.

IV. Latus se hîc aperit campus, in quo de operum ac ædificiorum, tùm publicorum, tùm etiam privatorum magnificentiâ ac elegantiâ procurandâ, discurrere liceret: cuius rei quoque rationem Iurisprudentia nostra habet. *tot.tit.Cod.de ædific.privat.& similit.* Res & opera expromenda inprimis est, in publicis operibus, vetustate, & temporum iniuriâ lapsis instaurandis. Nec carent invidiæ suspicione, qui antiqua ædificia decessorum, per quæ nomen suum æternitati consecrare voluerũt, & sarta tecta non tuentur. Ioh. à Chokier, *aphorism. polit.lib.5.cap. 16. fol.273.* Ita Vespasianus, restitutionem Capitolij aggressus, ruderibus purgandis, manus primus admovit, ac suo collo quædam extulit: plurimas per totum orbem civitates, terræ motu, aut incendio afflictas, in melius restituit. Sueton. *cap.8.& 17.* Et commendatur modestia Septimij Severi, qui Romæ omnes ædes publicas, quæ vitio temporum labebantur, restauravit; nusquam propè suo nomine adscripto, servatis tamen vbique titulis conditorum. Spartianus. Quod & de Alexandro Severo Lampridius testatur. Magnanimum Principem decet, sistere ruinas, solitudinem pellere, ingentia opera, eodem quo extructa sunt animo, ab interitu vindicare; muta quidem illa, & animâ carentia, sentire tamen & lætari videntur, quòd niteant, quòd frequententur. Et debent publica ædificia, inprimis magnificè ornari. Ita Traianus, licèt parcus in ædificando privatim; publicè tamen magnificus fuit: hinc porticus, indè delubra: Plinius *in Panegyr.* tot quoque & tanta locis opportunis extruxit, ut orbem terrarum, teste Eutropio, ædificasse videatur. Culpandi tamen sunt, qui tanto ædificandi desiderio tenentur, ut nunquam non ædificiis adjiciant ædificia; omnemque operam & curam, in architecturâ magis, quam in πολιτεύματι ponant. Vani prorsus; & nescij, immoderatum studium hocce, vulgo peringratum esse: cui demum is probatur, qui suæ pecuniæ parcus, publicæ avarus, effrenatam illam ædificandi cupiditatem (quæ ædificando non tollitur) coercet. Chokier *dict.loc.fol.272.* Absonumque est, famam immortalem sumptuosis substructionibus adquirere velle, Loys Guyon, *tom.1 des.diverses lecons, lib.4.cap.23.* Si non pietati, vel publicæ utilitati conducant. Guyon, *ibid. cap.24* Sicque publicas quod attinet structuras, illud omninò monendum est; opera Reipublicæ non inutilia esse oportere; ne scilicet plus onerent,

rent, quam ornent; neque reprehensionem potiùs, quàm laudem meantur; ac magna potius quàm necessaria, & utilia censeantur. Ubi Plinius, *lib.36.cap.12.* suum de Pyramidibus repeteret judicium: Otiosam, & stultam pecuniæ ostentationem esse. Vel Hieronyma Colonna, reiterare quiret, quòd illa de quodam ædificio Nobilis cuiusdam Neapolitani (sumptu & amplitudine maximè conspicuo, sed proportione & ordine carente) olim dixit: *che come sarà finità, rappresenterà due cose; cioe, troppi danari, e'l poco giudicio del padrone*: Indicare plus nummorum, quàm iudicij ædificantem habere. Fuggilozio d. Tomaso costo. *giornata 7. fol. mihi 485.* Laudanda est in Principe, æternitatis, perpetuæque famæ cupido, si non sit inconsulta: quam in Nerone, meritò Suetonius culpavit. *cap.55.* Vani & impij sunt Imperantes, qui, ut posteris sui memoriam relinquant, esurire faciunt suæ fidei & tutelæ concreditos à Deo: defraudantes propriam naturam suam, & suorum, vt habeant quo pascant oculos aliorum. Quia lapis de pariete clamabit, & lignum quod inter iuncturas ædificiorum est, respondebit: Væ qui ædificat Civitatem in sanguinibus, & præparat vrbem in iniquitate. Habacuc *cap. 2. vers. 11. &c.* Sic & Giphanius, *in vita Iustiniani Imperatoris, ad finem.* scribit: eum excusari vix posse, quòd tot operibus, toto orbe moliendis, & ædificandis, tantum pecuniæ absumpserit vim, atque planè exhauserit Fiscum. Nec gratæ sunt Deo, licèt ipsi dicatæ Basilicæ; nisi quas suâ quis pecuniâ, aut benè partâ ædificârit; & simul vitæ suæ actiones, vacuas à sceleris labe, tanquam hostiam Deo offeret. Evagrius, *lib.4. cap.29.* Nihil Deo gratum est, quod non idem sit iustum. Quâ ratione autem, in operum publicorum exstructione, etiam subditorum commodum promoveri queat egregiè Bodinus docet. *lib.6. cap.2. num.670. &c.* Si nempè egestati simul, & ignaviæ occurratur; inertia è civitate expellatur, opificia condiscantur, tenues subleventur, otiosi exerceantur, urbes exornentur, morbi arceantur. Hinc illæ Pyramides, quæ à Regibus Ægyptiorum, ne plebs otio & ignaviâ langueret, exstructæ feruntur. Magna seculi nostri labes est, quòd pauperes non publico sumptu conducuntur, ac ad vtilia opera adiguntur: quò scilicèt alantur, & ne vagando laborare desuescant. Veneti quatuor circiter millia, operibus publicis assiduè exercent ac fovent; quo nil aut plebi utilius, aut civitati commodius, aut vniversis iucundius fieri potest: quòd præter opera publica, civitati necessaria, etiam publicas opes tenuibus alendis, summâ benignitate largiuntur. Imitatus item est hocce Christophorus, laudatissimus Wurttembergiæ Dux, vt commemorat Balthasar Bidembachius, *in vita eiusdem Germanicè descripta.* & vide meum Ærarium, *cap.2. num.1. §.5.*

V. Magistratus omnibus modis, in pectora suorum subditorum,

condendorum ædificiorum amorem implantet. Nec enim solùm publicis operibus, urbis ornatus adscribi debet; sed & privatorum exculti ssimæ ædes eandem illustrant. Quamvis enim & hic certus sit modus adhibendus, Dn. Michael Piccart, *Decad. 12. cap. 4.* Et tamen hâc ratione subditi invitabuntur, vt libenter eo in loco, quo aliquid condiderunt, maneant, & sese multiplicent; atque adeò etiam locum istum, in quo ædificarunt, excolant laboriosè, & defendant masculè. Bartholomæus Keckerman. *politic. lib. 1. cap. 19. ad fin. fol. 322.* Sunt quoque Ædiles, vel Architecti constituendi, non solùm publica qui extruant opera, sed & consilio qui iuvent privatos: hoc enim modo Symmetria (vnicum Urbis decus) haut facilè negligitur, opificum callidæ fruſtrantur machinationes, sumptusque inanes minuuntur. Verum campestrium structurarum magnificentia & ornatus, non facilè ferendus est. Köstliche Lusthäuser/auff dem Feldt. Sicque de Florentinis Boterus: *I. Florentini, per riscuotere le ruine di quelle tante loro fabriche, hanno spesse volte fatti accordi i[n] dignißimi.* Est autem in ædificiis urbanis, maxima habenda ratio incendiorum. Et ita, cum præteritis seculis, Vesontioni, ædificia plurima è ligno essent, frequentissima incendia erant. Itaque edicto Gubernatorum sancitum fuit, vt quæcunque restaurarentur, aut de novo ædificia excitarentur, ex quadrato lapide fierent; quod præter utilitatem, maxumam civitati venustatem conciliavit. Chifletius, *part. 2. Vesontionis, cap. 70. ad fin.* Quòd si commoditas lapidicinarum alicubi deest, sufficit, si parietes intercalares, lapide constent. Wann man gemauret fewrwändt macht.

VI. Reliqua, ad Urbium, & Imperiorum interna incrementa, quæ spectant; ex Boteri, & Hippolyti à Collibus, tractatibus hac de re singularibus, peti possunt. Et nempè multum hîc urbibus conducit aeris salubritas, soli ubertas; si eas alluat flumen, lacus, vel mare; si sint ad vias Regias, vel ad imperij fines sitæ, si Thermarum habeant opportunitatem; si vicinas habeant Metalli fodinas. Urbes ita comparatas, commendant, & frequentes ac famosas adhuc magis reddũt, munitiones, Academiæ, Collegia, vel Bibliothecæ; (Sicque præmium obsidionis fortiter exantlatæ Lugdunum Batavorum, Academiam tulit; & ex Academiis magna emolumenta civibus obvenire solent, Dn. D. Lansius, *de Academiis, sublit. 1. fol. 38.*) Magnorum Principum Aulæ, vel Dicasteria summa (quemadmodum Tubinga nostra sola fidelis Domino suo, cum cæteræ defecissent omnes; inter alia obtinuit: vt ibi Iudicium dijudicandis Caussis Appellationum destinatum, das Fürstliche hoffgericht / semper habeatur, Crusius *in Annalibus*) Nobilium & Mercatorum frequentia, opificum omnis generis magna copia, facilis receptus peregrinorum; Cura diligens Annonæ; & optimè constituta politia, &c.

VII. Sanè

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 4, [14] - 14

VII. Sanè non ubivis magnæ extrui urbes possunt: caussamque magnitudinis Urbium; & cur non æquè in omnibus locis, magnæ inveniantur urbes? indagat Cardanus, *de subtilitate, lib. 11. fol. mihi 631. &c.* vbi ita scribit: Sub polis civitates esse populosas, impossibile est; quoniam sterilis est terra, & incommoda vectio frugum: quamobrem aut palantes vivere necesse est, aut in parvis villis. Qui verò temperatam incolunt regionem, mediocres habent urbes: nam commodiùs fruges in eas avehũt, & meliùs ac tutiùs in his, quàm in villis versantur; nam multitudine hominum, & muris sunt firmiores, artesque sibi invicem meliùs auxilio esse possunt. At in fervidis regionibus, maximas Civitates esse necesse est primum quòd soli pars aut sterilis est, si aquis careat; aut fertilissima, si abundet. Alia potentior est caussa, quòd cum procul veniant merces, & per loca deserta, periculosaque; necesse est, ut simul plures veniant mercatores, ac in modum agminis, ob securitatem. Quare cùm in aliquam vrbem posuerint sedem, incommodum nimis esset eam societatem vagari; unde melius, & longè facilius est, vicinos omnes in eum locum confluere; quod cum multis perseverat annis, contigit etiam è parvo pago, urbem populosissimam reddi. Tales igitur sunt Quisnai, Singui, Cambala, & Cairum, quam Civitatem Gehoar Illyricus servus Elcaim, Mahumetanorum Pontificis, in Aegypto ædificavit, securitatis caussâ, vocavitq; nomine Domini sui Elcaira, hoc est, Civitas Elcaimi: indeque corrupto vocabulo Cairum adhuc nominatur. Et idem Cardanus paulò pòst addit: In aquâ civitatem æternam collocandam esse: ac nec in omni aquâ, sed quæ brevibus & vadis abundet. Solam denique Civitatem, in quâ Lex imperat, non homines, & corpora hominum, militari robore exercitata, situsque tùm salubris, tùm tutus, & aditu facilis, æternâ in libertate manere, id est, diuturna esse potest. Talemque Cardanus ait, conditionem esse Venetiarum, quamobrem eam vrbem, vel solum, vel maxumè liberam urbem adpellari mereri.

CAPVT III.

De Amplificatione, seu Externo Incremento.

EXternè Rempublicam augeri dicimus, cum territorio aliud terræ spatium accedit. Et est sanè omnibus Principibus, Imperantibusque aliis innatum, vt dominia extendere nitantur. Richter. *axiom. Oeconom.* 203. Hæcque cupiditas, eò vsque se ferè offert, vt nec profundi maris gurgitibus, nec excelsorum montium cacuminibus, nec vastis solitudi-

nibus, nec Europæ, Asiæ, atque Africæ limitibus, nec cognati sanguinis Legibus, aut vinculis definiri, atque coerceri possit. Hominum animis (vt alicubi Pausanias scribit) cum alia quæ insunt, tum maxumè lucri cupiditas, quasi vim adfert; incitans ad malè agendum. Cor humanũ, (vt ait Antonius Peretz, *aphorism. fol.* 252.) non unum accipitrem satiare; eiùs verò cupiditatibus, nec totus Mundus sufficere videtur. Una & ea vetus bellandi caussa est, libido Imperij & divitiarum. Ingenuè Barbarus ille apud Tacitum: *Annal.* 15. Id in summâ fortunâ æquius, quod validius; & sua retinere privatæ domus, de alienis certare, Regia laus habetur. Ad bellumque movendum, plerunque non quæritur Iustitia, sed occasio tantum opportuna. Etiam utcunque operosè Romanos Albericus Gentilis defendat, *in libro 2. de Armis Romanis*, Verissimum tamen illud Salustij est; Romanis cum nationibus, populis Regibus cunctis, unam & veterem caussam bellandi fuisse, Imperij cupidinem profundã, & divitiarum. Attamen plerunque iustæ caussæ prætexuntur. Ac Attila, qui caussas bellorum nullas sectabatur, odium meritus omnium fuit. Indè ipsi etiam Turcæ quærunt belli caussas speciosas. Albericus Gentilis, *lib. 1. de iure belli, cap. 7.* Vereque Thomas Morus:

Regibus ex multis Regnum cui sufficit unum,
Vix Rex unus erit.
Regibus è multis, Regnum benè qui regat vnum,
Vix tamen unus erit.

Sed tamen, meliores ut reddantur, non vt amplificentur ditiones, accurandum est magis; internumque augmentum, præponderat sui naturâ externo. *Ragguagl. d. Parnass. cent. 3. cap.* 10. Nam & difficilius est, tueri & conservare Imperium, quàm illud amplificare. Botero, *l. dell. ragion. d. stato fol. mihi* 5. Latherus *de censu, lib. 3. cap. 8. num. 19. &c.* In turbas & discordias pessimo cuique maxuma vis, pax & quies, indigent artibus bonis. Difficilius est, dicente Floro, provincias obtinere, quam facere: viribus parantur, iure retinentur. Et Livius, alicubi excellentibus ingeniis, citiùs defuerit ars, quâ civem regant, quam quâ superent hostem. Ac si quis Princeps reverâ quod ali, quæritant, assequi cupit; bonus potiùs, quàm magnus dici laboret. Fundi nostri calamitas, ex eo est, quòd parvipendimus, vel negligimus ea quæ habemus, & nimiùm æstimamus ac adpetimus aliena. La Noue. *Discurs.* 7. Ambitio laudabilis & optima est; benè gubernare provincias suas, non cum sanguine & periculo, occupare ea, quæ sunt aliorum. Sicque Magnatibus Boccalini suadet, *2. ragl. 6. che la soverchia ambition loro, Sfogassero nel far acquisto della segnalata gloria di ben governàr i popoli, che Iddio ha conceduti loro; non con l' emptio mezzo degl' incendij, delle rapine, & del' effusion di copia grande di sangue humano, affettar gli stati altrui.* 2. Suade

II. Suadet hoc honestas; eo enim animo, alienum invadere Imperium, quò dominatio auctior fiat; aliud nil est, quàm publicum latrocinium profiteri. Quod olim Demetrius Pirata, Alexandro Magno objecit probrum: vtpotè qui lubidine tantùm, quietos populos,& à notitiâ quoque sui sepositos,scrutatus est, belloque vexavit. Locum vel maximè habere hìc debet illud; Honestè id demum quemque posse, quod iure & dignitate salvâ potest, *l.*125.vbi Gæddæus, *Dig.de verbor. significat.* Ergò iniqua sunt Arma, quibus Ambitio & Avaritia sunt caussæ. Iohannes Gerhardi, *centur.quæstion.politicar.decad.* 7. *quæst.*7. adde Parthenij Litigiosi Auctorem, *lib.*1. *cap.* 7. *per Discursum.* Vim namque inferre, ipsâ naturâ iniustum est, Vasquius, 1.*illustrium, cap* 10. *num* 4. Et duo mala in Rempublicam tales Bellatores invehere solent(1) quòd committunt contra Legem Divinam, alterum occidentes,& alienum vsurpantes.(2)& quòd populum proprium, quem custodiendum accepêre, mortis periculis temerè exponunt. Gregorius Tholosanus, 31. *de Republicâ,cap.*1.*num.*9.Et ita Magistratus bellum ac pacem, non ad suam gloriam vel commodum;sed ad Reipublicæ utilitatem dirigere debet, Otho Casman. *vita polit.cap.*36.*fol.*191.*num.*2.*&* 3. Optimè Isocrates *ad Nicoclem.* Bellicosus esto, scientiâ rei militaris, & apparatu; pacificus, nihil præter ius & æquum vindicando. Erga Civitates imbecilliores talem te præbe, quales in te potentiores esse velles. Ex Iureq; Gentium omninò corrupto, contra Melios,argumentantur Athenienses, cùm apud Thucydidem, *lib.*1.aiunt: Sic inter homines esse comparatum, vt æquis quidem viribus instructi, de iure disceptent; valentiores autem, quæ fieri possunt, iniungant, & inferiores non detrectent. *vt. ibid.in adnotat.* Illustrem Enenckelium,*fol.mihi* 617. Remotâ Iustitiâ, quid sunt Regna, nisi latrocinia magna? Quin & ipsa latrocinia, quid sunt, nisi parva Regna? Beatus Augustinus, 4.*de Civitate Dei, cap.* 4. Made torbis mutuo sanguine,& homicidium cum admittunt singuli, crimen est: Virtus vocatur cùm publicè geritur. Impunitatem sceleribus acquirit, non innocentiæ ratio, sed sævitiæ magnitudo. Sanctus Cyprianus, *ad Donatum.* Hæc etiam caussa est, quòd Imperia magna, tandem omnia evertuntur, miserrimèque perire solent *Infalible regla es, el que toma à otro lo ageno, pierda el derecho que tiene à lo suyo proprio. Esto es iusto iuyzio de los Dioses,que pues ellos hizieron mal à muchos, alguno les haga mal à ellos.* Marco Aurelio, d.Guevara, *cap.*11.

III. Falsus est Aristoteles, qui *libr.*1. *Politicor.cap.*5. huiusmodi Bellum, naturâ esse iustum pronuntiat; quod suscipitur eos in homines, qui cùm sint ad parendum nati, Imperium recusant: Dn. Iohannes Bruningh, Amicus meus, *in Dissertatione eruditissimâ de homagio, thesi* 141.

quod

quod tamen Iustus Lipsius *lib.5.politicor.cap.4* tùm demùm concedere videtur, si potentes ij, & aliena ipsi invaserunt , aut invadunt; cùm secundum Beatum Augustinum, *epist.5.* utiliter vincatur , cui eripitur licentia iniquitatis. Vt nec solius Religionis propagandæ ergò, Bella sunt suscipiẽda: licèt id velit Tiberius Decianus, *praxi Criminali, lib.5.c.42. fol.mihi* 378. Fides quippè, vt rectè alicubi inquit Sanctus Thomas; nõ tollit Ius Naturale, aut Humanum; ex quo dominia sunt profecta, quodq; vult, vt homo homini non insidietur. Bellum est contra Charitatem; Ergò non aptum esse videtur medium Religionis, quæ Charitatem inprimis intendit. Non bello, sed pœnitentiæ prædicatione, viam nostro Salvatori præparavit Sanctus Iohannes Baptista. Et felici magis successu, in Indiâ Orientali Christianam propagant Religionem Iesuitæ, prædicando & patiendo, quàm factum fuit in Occidentali, armis , multorumque hominum internecione. Et quoque color ille , redigendi invitas gentes, ad mores humaniores, ad veramque Religionem compellendi; à Theologis ferè cunctis, etiam Hispanis, impius atque improbus reputatur. vid. hâc de re Beatum Thomam, *2.2.quæst.* 10. *art.* 8. *&* 11. Valent. Wigel. *de vita Christi, cap.*14. Herm. Lætmatium, *de instauranda Relig. lib.2.cap.*13. post Hostiensem, & Panormitanum, Fridericum Tilemãnum, *Disp.ad Pandect.1.thes.16.vol.*1. Covarruviam, *in cap. peccatum*, §. 10. Ferdinandum Vasquium, *in præfat.controversiar.illustr. num.5.* Marquardum de Susanis, *tract.de Vsur. &c. part.*1.*cap.* 14. Albericum Gentilem, *1.de iur.belli, cap.9.&* 12. Heigium, *part.*1. *quæst.*12.*num.* 47. Hugonis Grotii *tractatum, Mare Liberum inscriptum, cap.*2. Dn. Bocerum, *de Iure Belli, lib.*1.*cap.*6. Dn. Bruningh. *de homag.thes.*18.*& multis seqq.*

IV. Sed hæc tamen restrictionem patiuntur, si infideles Christianos offendant; vel etiam detineant provincias eas, quæ olim ad Christianorũ Principum Iurisdictionem pertinebant , *can. dispar. cauf.*23. *quæst.* 8. Sicque defendi possunt expeditiones illæ Hierosolymitanæ: licèt eas, vt stultissimi classici, ita tristissimi eventus fuisse, dicat Iohannes Cammãnus, *Disput.de Iurib. Maiest.*3. *thes.* 22. ac illis bellis, etiam iniquior esse videatur Estienne Pasquier, *5.des Recherches, cap.*21. Sanè iam eo tempore, quo susceptum & gestum bellum illud sacrum fuit, diversa de eo diversorum indicia fuerunt; quod non dissimulant Tyrius & Urspergensis. vid. Reineri Reineccij præfationem *Historiæ Orientali præfixam.* Fateor equidem, multa ibi errata fuisse commissa, impietatemque & æmulationem ex nostratibus nonnullorum, res ibi turbasse, & tandem evertisse. Veruntamen, Bella hæc, suasa fuerunt à Viris Sanctis, ab ipsoque etiam Bernhardo: vt refert Cardinalis Bellarminus, *lib.3.de Pontif. cap.* 17 *fol.mihi* 296 *col.2.* Videbant enim Christianos bello carere non posse;

maluerunt

maluerunt ideò ea geri contra infideles, & per illa fideles liberati. Fuerunt item expeditiones illæ miraculis multis adprobatæ: quæ Guilielmus Tyrius, *de Bello Sacro, lib.6.* & Paulus Æmilius, *hiſtor. Francicæ, lib.4.* habent. Fuitque tandem bellum hoc, fortiſſimè ſuſceptum, & ſingulari exemplo conſtantiæ, fortitudinis, pietatis, Religionis, Zelique verè Chriſtiani, duodecim expeditionibus maximis, iteratum & repetitum: ab Anno Chriſti, *M XC IV.* uſque ad Annum *M C C X CI.* nec vllum ſimile in Hiſtoriis reperitur. Expeditio nempè prima fuit, millium aliquot Chriſtianorum; qui vltrò nomen huic militiæ dederunt: Duce Petro Eremitâ. Anno Chriſti *M X C V.* Secunda expeditio, ſuſcepta fuit Ducibus Volcomaro, & Sodeſcharo ſacerdotibus. Anno eodem (3) in Aſiam; Ducibus Gothofredo Bullionio, & Balduino; Equitibus 100000. & peditibus 300000. Anno Chriſti *M X C V I.* (4) Guilhelmi Pictonum Ducis: qui cum 100000. hominum, ſacram militiam ſuscepit. Anno Chriſti *M C I.* (5) Expeditio ingens, Conradi III. Imperatoris, Ludovici Regis Francorum, Friderici Sueviæ, & Welphonis Bavariæ Ducum. Anno Chriſti *M C X L V I I.* (6) Friderici Barbaroſſæ Imperatoris, Philippi Francorum, & Richardi Angliæ Regis. Anno Chriſti *M C L X X X I X.* (7) Regum Galliæ, & Angliæ, Anno Chriſti M C X C I. (8) Henrici, Filij Friderici Barbaroſſæ. Anno Chriſti M C X C V I I I. (9) Expeditio, quam Honorius III. Pontifex Maximus procuravit. Anno Chriſti MCCXXII. (10) Friderici II. Imperatoris Anno Chriſti MCCXXVIII. (11) Ludovici Galliarum Regis, cum ſuis Fratribus, Roberto & Carolo. Anno Chriſti MCCXLVII. (12) Ludovici Regis, in Africam, contra Saracenos, Anno Chriſti MCCLXX.

V. Sed quid ex hactenus deductis, de occupatione Indiæ utriuſque ab Hiſpanis, ſeculo ſuperiori factâ, ſentiendum erit? Sanè Petrus Matthæus, *lib.1. del' hiſt. de France, narrat.4.* ſcribit, Hiſpanos auri magis cupiditate, quàm Religionis propagandæ ergò Indias indagâſſe; eiusque divitias (quas ad oppugnandum Turcam convertere debuiſſent) in Europâ, non utiliter expendiſſe. *Dieu, inquit, à faict des Indes, ce que les peres font des filles laides. Il les à dotées de grandes & infinies richeſſes à fin qu' elles trouvaſſent plustoſt mary. Les Eſpagnols, & les Portugais n' euſſent entrepris ces grandes & perilleuſes navigations, s' il n'y eut eu non plus d' or qu' aux deſerts de Lybie. Tout ce qui en eſt venu, s' eſt employe inutilement en l' Europe. La ſplendeur del' or, qui avoit donnè la lumiere del' Evangile aux Indiens, devoit ſervir pour le remettre, aux lieux, oul' Alcoran l' en à chaſsè.* Rei etiam ambitionis, & communis Gentium Iuris violati, ex eo vulgò aguntur Hiſpani; quòd Indiam utramque ſibi vendicant ſolis; ab Indianisque commerciis, Anglos & Batavos prohibere

attentant. Vide suprà laudatum Grotij Tractatum, cui Titulus *Mare liberum*, & facit *l. deprecatio, ff. ad leg. Rhod de jactu.* Et quod nonnulli, Ius aliquod ex Pontificiæ donationis titulo prætendunt; ad id argumentum, iam diu est, quod Attabaliba Rex Peruanus, sufficientem docuisse videtur responsionem. Qui, cùm Vincentius de valle viridi, Dominicanus Monachus, eodem prætextu Imperatori Carolo V. Indiarum assereret Monarchiam; Pontificem insigniter fatuum, & impudentem esse, ex eo facilè prodi, regerebat; quòd aliena tàm liberaliter largiretur. Hieronymus Benzo, *Histor. Indiæ Occidentalis, lib. 3. cap. 31.* & recèsui ego *1. politicor. cap. 2. num. 18. & seq.* Porrò crudelitatis inhumanæ, Hispani accusantur: extatque de crudelitate Hispanorum, in Indianos adhibitâ, Tractatus singularis, Bartholomæi de la Casa, Episcopi: vbi sub finem hæc habentur. Rubore suffundi deberemus, quòd omni Timore Dei remoto, tàm execrandis facinoribus, colorem addere, & ea excusare tentemus; cùm præcipuè cernamus, nos Hispanos, quadraginta octo Annorum spacio, regiones maioris longitudinis, quàm sit tota Europa, & pars Asiæ, ob hanc caussàm, vt divitias consequeremur, destruxisse: eas terras deprædantes, & omni crudelitate, iniustitiâ, & Tyrannide occupantes & usurpantes; quas humanis habitatoribus & incolis, refertas vidimus, & in iis vltrà viginti hominum milliones periisse certò scimus. &c. add. Simon Goulart, *tom. 3. d. histoir. admirables, fol. mihi 44. & seqq.* Mendacij quidem in multis convincere satagit Casanum Auctor nuperus deß Lermen Blasers, *fol. 78 &c.* Sed tamen Levinus Appollonius, *Historiæ Peruvinæ, lib. 4. à princ.* refert, Hispanos longâ quadam maiorum usitatione, durum & immite in devictos, subiugatosque Barbarici nominis hostes, hominum genus, quâ Mauros, Numidasque tractare solent; ad Occidentem rerum potiti, eandem duritiem atque inhumanitatem, vbique in novi Orbis indigenas exercuisse: atque idem licentiæ ac potestatis ius, sibi in captivos sumpsisse, quod seculis priscis, Ethnicâ insolentiâ, audaciaque, in servos atque vernas, Domini usurpârunt. Idque impudicæ atque illicitæ potestatis malum, Carolum V. Cæsarem, piorum quorundam hominum, Sacrati Ordinis instinctu adductum; novâ salutaris Decreti constitutione, constringendum, corrigendumque, haut invitè suscepisse. Et porrò Hispanos, Mosis ac Iosuæ exemplo, defendit Campanella: *de Hispanic. Monarch. cap. 6. fol. 21.* putatque, Indos fuisse extinctos, providentiâ singulari Divinâ, vt olim Cananæos, Amalekitas, aliosque populos Palæstinæ. Hisque qui parcebant, peccato se polluerunt. 1. *Samuel. cap. 15.* Sanè ut nunc Hispani, ita olim Iudæi, communes orbis prædatores habiti fuerunt. Namque Procopius in vitâ Belisarij testatur, se in Mauritaniâ, Africæ Regione, vidisse

quasdam

quasdam columnas hisce litteris insculptas : Nos Mauritij, qui fugimus à facie Iesu, latronis, filij Nave. &c. Ac ipsa linguæ proprietas, probabile reddit, Sidonios profugas fuisse Cananæos. Sic Dido amabilis est: Hannibal, Dominus gratiosus; Atherbal, gratus, vel ex orabilis Dominus: Masinissa tollens tributum, à משׂא & נשׂה ut pluribus, in revisione tractatus de Linguarum mutatione demonstrabo. Et sanè ius aliquod à Deo singulariter concessum, cùm Deus expellit gentes, & earum terram alteri dat. *Psalm.* 78. *versic.* 55 Hispanorum quoque ius in Indijs predit Hieronymus Cævallos, *tom.* 4. *opin. commun. contr. commun. quæst.* 906. Et ego iure amplio, nec in judicia Divina inquiro.

VI. Itidem & externum hoc Incrementum, nonnunquam utilitas dissuadet. Plurimi alienis inhiando, sua perdiderunt. Longè itaque præstantius est, ut sua quisque securè possideat; quàm dum aliena appetit, de suis & necessarijs admodum rebus periclitetur. Procopius, *de Bell. Gothic.* Legitur de Principe quodam Tartarorum, quòd captum Regem Rhutenorum, non necessarium bellum moventem, interfecerit, & ex calvariâ eius inauratum poculum fieri curârit, cum hâc inscriptione: Hic adpetendo aliena, amisit propria. Cùm bellum eiusmodi suscipit Princeps, nemo non animum tumentem, & caducis confidentem impellit: caussæ iustæ prætenduntur, in proclivique esse hostes vincere omnes dicunt; non laturos nuntium belli: nil dubij esse, quin tali molimine, non vinci solùm adversarius, sed obrui possit. Nemo consilia suggerit, quale Xerxi olim Demaratus; apud Senecam, *lib.* 6. *de beneficiis, cap.* 31. Nemo audet præsagire cladem, nec etiam deliberatur, quid faciundum fiet, si res sinistrum sortiatur eventum. Indeque unica clades, caussa est secundæ, secunda tertiæ. &c. Nec desunt in ullo seculo exempla eorum qui aliena ambientes, se & suos perdiderunt. Magna Imperia, mole ruût suâ. Richter. *axiomat. historic.* 128. Ea proindè potentia tuta est, quæ viribus imponit modum. Valer. Maxim. *lib.* 4. *cap.* 1 Et rectè Scipio, non amplius pro augendâ, sed pro conservandâ Republicâ, vota suscipienda esse duxit. Iustinus *lib.* 25. Nec prætenrationem Augustus Imperator deridebat Alexandrum; quòd occupare magis provincias, quàm benè gubernare maluerit easdem, Plutarchus *in Apophtegmat.* Idemque ideò intrà fines Imperium coercendum esse censuit. Tacitus 1. *Annal.* Clarissimus Dn. Ianus Gruterus, *in Discursu ad Tacitum, fol.* 149 qui hæc pro more pluribus illustrat. Scipio Amiratus, *Discurs. lib.* 1. *cap* 6. Ovidius 2. *de arte amandi.*

Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri:
Casus inest illîc; hîc erit artis opus.

Velut in rebus omnibus; sic & in Imperijs, suus est modus: quem si

excedis, ruet aut manibus alienis, aut tuis, aut etiam nullius. Piè apud Senecam Albutius: Aliquis etiam magnitudinis est modus. Non procedit ultra spacia sua cœlum, Maria intra terminos suos agitantur. Quicquid ad summum venit, incremento non relinquit locum. Idemque ex eâdem Scholâ Lucanus *lib.* 1.

In se magna ruunt; latiusque hunc Numina rebus
Crescendi posuêre modum.

Ratio est, quòd ferè non augetur Respublica nimium, sine magnis peccatis; & nec ullus Princeps facilè fit magnus, nisi maxu mo incommodo aliorum. Id quod Boccalini, *cent.* 1. *ragg.* 52. eleganti exemplo Franciſci Sfortiæ docet. Utar hîc, B. Salviani verbis, *de gubernatione Dei, lib.* 5. *fol. mihi* 166. Penè iuxta te nullus intrepidus, nullus potest esse securus. Exturbas possessiunculis suis vicinos tuos, habitatione ac facultate proximos tuos. Numquid, ut scriptum est, super terram solus habitabis? Esaiæ *cap.* 5. Hocquippè est, quod non poteris obtinere. quâlibet enim cuncta pervadas, vicinum semper invenies. Respice quæso alios, quos, velis nolis, & ipse suspicis. Respice alios, quos velis nolis, etiam ipse miraris. Magnitudo mediocris, Imperium durabile magis reddit. Botero *lib.* 1. *della ragion di stato.* Nimia magnitudo, suis ipsa viribus fatiscit. Pertinet huc Disputatio Aristotelis, *lib* 7, *politicor. cap.* 4. quòd civitas non debeat multitudine hominum infinitâ, & ambitu murorum æstimari: sed ingenio & naturâ talium incolarum, qui opus hoc rectissimè exequi possint, hoc est, ad mutuam, perfectamque beatitatè conspirent. *Et lib. eod.* 7. *cap.* 2. *à princ.* idem scribit: non nisi eos, qui Tyrannicam vitam cæteris anteferunt, Civitatem plurimis imperante, felicissimam esse fateri. ibidemque *cap.* 3. habetur: Imperare multis, aut cunctis, summum bonum haut esse. Ac, *dict. cap.* 2. probat, Rempublicam eam, ritè constitutam non esse, si leges ad hoc unum referantur, ut victoriâ & Imperio potiantur: quemadmodum Lacedæmone, atque in Cretâ, olim, tum educatio, tum summa Legum, ferè bellis accommodabatur. vide eundem Aristotelem, *lib.* 7. *politicor. cap.* 14. & Isocratè *in Panathenaic.*

VII. Quarundam etiam Rerumpublicarum conditio non fert, ut ea extendantur. Impendia belli plurima sunt, quàm præmia: & principes quotidiè experiuntur, piscari sese in bellis, aureo hamo. Benè & piè Annibal ad Scipionem: Optimum quidem fuerat, eam Patribus nostris mentem à Dijs datam esse, vt & vos Italiæ, & nos Africæ Imperio contenti essemus. Neque enim, ne vobis quidem Sicilia atque Sardinia, satis digna pretia sunt, pro tot classibus, tot exercitibus; tot, tamque egregiis Ducibus amissis. Livius, *libr.* 30. Et ita Imperij incrementum,

respicere

respicere debet Reipublicæ præscriptum finem, legemque supremam, hoc est, populi salutem. Ne, quod plerunque fit, quemadmodum certantibus ventis, mare concutitur; sic Regibus sibi adversantibus populus Regni vexetur. Beatus Chrysostomus *in Matth.* 2. Eleganter Boccalini *cent. 2. ragg. 80. E somma pazzia, il desertar i Stati proprii, per far acquisto de gli altrui. Non è come molti sciocci credono, che il scorrer molte provincie, sia utilità; mà è meglio, scorrerne poche, & farle sue.* Principes etiam Germaniæ, non nimis esse attenti debent publicæ libertati, ut pro eâ conservandâ, & tuendâ, suscipiant bellum: si domi non ita sint omnia comparata, ut correspondeant huic moli. *E parte della prudenza reale, il cognoscere, che acquisto gli convenga, o non gli convenga: perche ben spesse per dilatare i confini, s' indeboliscе, e si snerva lo stato; e per diventar grande, si divien debole.* Botero. 1. *d. detti, fol. 54. b.* Qui vi acquirit civitatem, sæpè non indè fortior, vel potentior reddi solet: tempore namque belli, non sine periculo retinetur, tempore verò pacis, haut absque sumptu. Vt Soderini apophtegma refert, idem Boterus, *dict. libr. fol. 51. b.* Sic & imprudentiæ maximæ nota est, incipere, quæ quis ante vitæ suæ finem perficere non potest. Quo nomine Carolus Burgundus à Cominæo culpatur, *lib. 3. cap. 3. ad fin. fol. mihi* 204. Itidem, vt corporis cacochymici incrementum, hydropis prognosticum est: ita & Rempublicam benè purgatam esse decet, capax quæ sit talis augmenti. Namque quæ comparantur bello, à Republicâ malè institutâ; ea potius ad interitum illius pertinent quàm ad Imperij magnitudinem comparandam. Egregiè Nicolaus Machiavellus, *discurs. lib. 2. cap.* 19. Idque non animadvertens Sebastianus Portugalliæ Rex, perdidit se, vnà cum suis. Hieronymus Conestagius, *de coniunctione Portugall. cum Castell. lib.* 1. Sanè in corporibus hominum satius est, modicam staturam cum sanitate habere; quàm ad molem giganteam, perpetuis afflictionibus pervenire: nec cùm perveneris requiescere; sed quantò grandioribus membris, tantò maioribus agitari malis. Beatus Augustinus, *lib. 3. de civitate Dei, cap. 9.* Et sunt quoque qui putant, Indiarum detectionem plus damni, quàm commodi non orbi solùm Christiano: Hippolytus à Collibus, sub nomine Ioh. Werner Gebhardt. In den fürstlichen Tischreden/ *lib. 2. cap. 6.* Boccalini, *cent. 2. ragguagl.* 90. Keckermannus, *in Synops. Oeconom. cap. 7. fol. 90. & Disput. practic. 28. thes.* 45. sed & ipsis Hispanis adferre: quod alicubi in Itinerario suo Hugo Linscotanus, probat. verùm eâ de re in capite sequenti plurib. dicam. Et insuper provinciæ sunt occupandæ, quib. onera imponi queant, ut Respublica dominans, libera relinquatur. Ergò bello non aggrediendæ sunt provinciæ onerosæ, & quæ nostram Rempublicam exsugunt. Et præsertim haut

consultum esse videtur; alienis viribus Imperium augere. Adhuc verò imprudens magis est, si quis alienam potentiam juvet: firmumque prodit axioma, Machiavellus, *cap. 3. de Principe.* Alienæ potentiæ auctorem perdere seipsum. Non item est tutum, longè dissitis regionibus imperare: cùm unio & contiguitas maximum faciat robur. Botero 1. *de ragion di stato, fol. mihi* 10. Iean. de Marnix, *sect. 4. resolut. 3.* Distantibus locis, auxilio esse nequimus: & etiam in ijs, Imperij summi respectus cessat.

VIII. In Imperio, qui longè latéque dominari, viresque suas extendere cupit; ibi omnia ad bellum spectare, benéque ordinata militia, summum quasi bonum esse decet. Ita apud Turcas, Belli semper prima & præcipua cura est. Soli Turcæ militiæ student artes & scientias negligere solent. Solum bellum offensivum gerunt. Non arcibus & propugnaculis, Imperium, acquisitamque potentiam defendunt: sed potius exercitu semper instructo, & parato. Milites institutione diligenti, fortiores, & ad bellum paratiores reddunt. Militum copias ingentes, exactâ militari disciplinâ coercent. In bello gerendo, viribus propriis, non exteris aut peregrinis auxilijs innituntur. Duces belli, præficiunt exercitui præstantissimos. Expeditiones non interrumpunt; non quid hostile, à tergo relinquunt. Exercitus non occupant circa expeditiones parvi momenti. Imperator exercitui ferè in bello adest. Ordine decenti, magnoque rerum necessariarum adparatu, bella gerunt. Copias & vires non dividunt: nec simul plus, quam vnum bellum, nec item diu uno cum hoste gerunt. Ut hæc omnia latissimè persequitur, Renatus de Lusingha, *in tract. de incremento, conservatione, & occasu Imperiorum, libr.* 1. Extat & ingeniosissimus Thomæ Campanellæ Tractatus, de Hispanicâ Monarchiâ; ubi tàm belli, quàm pacis enumerat varias artes, quibus Imperium illud amplificari, totique orbi imperitare possit. Liberæ cumprimis Reipublicæ pernicioſum est, externum augmentum. Unaque Roma, diu satis exteris imperitavit. Athenæ, & Carthago, Imperium tale, etsi nactæ sint; id tamen tueri nequiverunt. Ferèque est, ut dissentiam à politissimo Paolo Paruta, qui *lib. 1. Discurs. 13.* sentire videtur: Monarchiam minùs commodè magnam potentiam tueri, ac Democratiam. Et indè hoc nomine Boccalini, *cent. 2. ragg. 6. fol. mihi* 20. maxumè commendat Liberas Germaniæ Civitates, quòd magis suam tueri libertatem, quàm alijs servitutis imponere satagant jugum. Græcia licet olim tàm militum fortitudine, quàm prudentiâ Ducum, non cesserit Romæ: attamen haut ita latè extendere Græci Imperium potuerunt, ac Romani. Quia nempè in multas Respublicas parvas, quarum quælibet alterius potentiam habuit suspectam, divisa fuit. Nec item

Siciliam

Siciliam adquirere Athenienſes, nil item egregiè in Ægypto iidem efficere potuerunt. Paruta *dict. libr. 1. diſcurs.* 14. Veneta Respublica, licèt minus obnoxia ſit civilibus turbis, & ideò meliùs inſtituta videatur, ipſa Romanâ veteri Civitate: tamen non potuit, ad parilem potentiam pervenire, non ſolùm, ut Machiavellus alicubi ſentit, propter leges & inſtituta, paci magis apta: ſed & propter circumſtantias alias multas; quas Paruta congeſſit, *libr. 2. Diſcurs. 1.* Adeò etiam metuunt Veneti ſuæ libertati, ut nolint Senatores ſuos nimis magnos, belloque externo illuſtres fieri ac potentes. Vid. Boccalini, *cent. 1. ragg. 79.* Cur autem Principes moderni, ijs ex ſeculo priſco, tàm in rebus gerendis, quàm Imperio dilatando, nullo modo æquiparari queant? indagat idem Paruta, *lib. 2. Diſcurs. 6.* vbi Alexandri Magni, Cæſaris & Pompeij expeditiones, cum rebus geſtis Solimanni, Caroli V. & Franciſci I. confert. Seculis ab initio Regnorum primis, bella gerebantur, gloriæ magis, quã Imperij ſtudio. Iuſtinus *lib. 1. à princ. fol. 2.* Ad morem ferè Equitum illorum, quos Galli *les Chevaliers errants* vocare ſolent. Talesque fuerunt, Herculis & Argonautarum expeditiones. Pòſt Monarchijs, alijsque Imperijs magnis qui præfuerunt; alios ut ſubjugarent, operam dederunt. Hodiè non bella ſunt, ſed bellorum tumultus. Etſi in poſtremâ ſenectâ, multum ſit bellorum: non tamen res geritur ſimili animorum vigore atque labore. Nunc tumultus aſſidui ſunt, quibus fiunt vaſtationes, non Imperia conſtituuntur, aut ornantur; Richterus *axiom. hiſtoric. 46.*

IX. Aliquandò item intereſt ſubditorum, Principem haut potentem nimis eſſe, neque latè imperitare. Sicque potentiam ſuorum Dominorum, ſemper impediverunt Flandri. Cominæus, *lib. 6. cap. 9. fol. mihi 553.* Belgioque toti, exitioſa tandem fuit acceſſio Regnorum Hiſpanicorum. Et indè ortum ducunt, Privilegia Subditorum, ne ij Principem extrà territorium bellum gerentem, ſequi teneantur. His, inquam, pernicioſa Principum ambitio anſam dedit, & ideò procuraverunt, ne ad lubitum ſuorum Dominorum, animæ atque corporis iacturam pati cogantur. Concludo hæc omnia optimo conſilio Thomæ Mori; qui *libr. 1. Vtopiæ, fol. mihi 36. &c.* ita ſcribit: Populi Achoriorum, Utopienſium Inſulæ ad Euronotum oppoſiti, bellum olim geſſerunt, ut Regi ſuo aliud obtinerent Regnum; quod affinitatis antiquæ cauſsâ ſibi contendebat hereditate deberi: conſequuti verò tandem id, vbi viderunt, nihilò ſibi minus moleſtiæ eſſe in retinendo, quàm in acquirendo pertulerunt, verùm aſſidua pullulare ſemina; vel internæ rebellionis, vel externæ in deditos incurſione; nunquam dari facultatem exercitus dimittendi: compilari interim ſe, efferri forâs pecuniam: alienæ

gloriolæ,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 4, [25] - 25

gloriolæ, suum sanguinem impendi; pacem nihilò tutiorem, domi corruptos bello mores, imbibitam libidinem latrocinandi, confirmatam cædibus audaciam, leges contemptui esse; quodque Rex in duorum Regnorum curam distractus, minus in utrumvis animum intendere posset. Cùm viderent alioqui tantis malis nullum fore finem; inito tandem consilio, Regi suo humanissimè fecerunt optionem, retinendi utrius Regni vellet: nam utriusque non fore potestatem; plures se esse, quam qui à dimidiato Rege gubernari queant. Ita coactus est, bonus ille Princeps, novo Regno cuipiam ex amicis relicto, antiquo contentus esse.

CAPUT IV.

Continens Conjectanea de Novo Orbe.

RES, Me Christe, Admirabilis est, inprimisque stupenda, ut ante annos centum & quod excurrit (Anno nempè post Christi nativitatem MCDXCIIII.) unius anonymi cujusdam instinctu (quem tamen Bernhardus Aldrete, *lib.4 de varias antiguedad cap 17. fol.567.* Antoniũ Sanchetz de Huelvâ vocat) unius Christophori Columbi Genuensis, felicissimo ausu, unius magnanimæ fœminæ (Isabellæ Sc. Castilliæ Reginæ) liberali sumptu fuerit factum; hominibus ut Novus planè innotesceret Orbis (magnitudine vix antiquo cedens) & qui omnibus in nostratis Mundi parte constitutis, penitùs tum incognitus erat, quemque in rerum existere naturâ, ne in somno quidem unquàm cogitârant. Magis etiam, magisque in admirationem omnes meritò trahit; infinitas ferè præter Novi illius Orbis duas principales partes (Americæ & Peruvinæ, terræ item Australis nomine insignitas) omnigenas quoque Insulas hinc indè in immenso salo, à Magno rerum Moderatore disseminatas, terræ ac cœli qualitate differentes; alijs Columbi vestigia prementibus Nautis, interea quoque temporis comparuisse: homines item, omnibus illis in terris passim inveniri, numero quidem infinitos; sed tamen pariter ut distantiâ locorum, ita quoque moribus vivendique ratione, ab alijs nostri Mundi notis incolis omninò separatos. Sanè res hæ tales tantæque sunt, ut vel meditantis superare captum, vel ad mentis quoque stuporem adigere posse videantur; quoties earum consideratio, animum intelligentis cordatique viri subire contingit. Tu hinc, Christiane Lector, potentiam Opificis Dei; Tu hinc admirabilem, ab omnique humanâ prudentiâ alienam, hujus Mundi animadverte gubernationem. Complectere, quæso, cogitatione, quàm ridiculos se præbeant illi, in suo oppido, in suâ qui villâ caulâvé impotenter dominantur; eoque nomine,

Petrus Martyr in Decad. de rebus Oceanicis passim. *Petrus Bembus*, hist. Venet. lib. 6. *Ioh. Metellus, ICtus*, in elegãtissimâ epistolâ, ad Antoniũ Augustinum, præfixâ Historiæ Hieronymi Osorij, de rebus gestis Emmanuelis, Lusitaniæ Regis. *Hieronymus Benzo*, in historia Indiæ Occidentalis sparsim. *Ioh. VValchius Schornndorffensis.* in Decad. Fabular. Fabula 9. fol. 250. &c. *Henric. Salmuth.* ad Pancirolli nova reperta. tit. 1. à princ. *Erasmus*

mine, in Mundo unicè reſpici ſe debere vaniſſimè ſibi perſuadent: nec quàm exiguum ſpatium, territorium quoque ſatis amplum in mundano occupet globo; nec item quæ Majeſtas atque libertas ſit Philoſophi Coſmopolitæ, animo ſatis ſobrio perpendunt.

Schmidius, in diſcurſu de Inſulâ Atlanticâ: qui eiuſdem in Pindarum cõmentariis additus invenitur Petr. Bertius, Tabul. contractar. libr. 5. in Americæ deſcript.

2. Novum hunc Orbem, exploratum detectumque iri aliquandò, multorum vel vaticinationibus, vel conjecturis, cognitum prædictumque jam olim fuiſſe videtur: & admirationem meretur cumprimis Oraculum Senecæ noſtri, qui in Medæâ, *ad fin. Actus.* 2. ita vaticinatur.

Venient annis ſecula ſeris,
Quibus Oceanus vincula rerum
Laxet; & ingens pateat tellus,
Tiphyſq; Novos detegat Orbes:
Neq; ſit terris ultima Thule.

Fidem hujus prædictionis, eventus ita ex omni parte comprobavit; ut nequeam adſtipulari (prudenti aliàs rerum æſtimatori) Joſepho Acoſtæ, qui *libr.* 1. *de' hiſtoir. des Indes, c.* 11. caſu hæc, & ex licentiâ poeticâ prolata fuiſſe putat. Marcus Antonius Delrio, *in Commentar. ibid.* Abrahamus Ortelius *in Tabulis Indiæ Occidentalis.* Sed undè ſcivit Dantes, in adverſo polo, quatuor eſſe ſtellas loco Cynoſuræ? *in princ. de purgator.*

Io mi volſi à man dextra; & poſi mente
Al' altro polo, & vidi quattro ſtelle,
Non viſte mai, fuor che la prima gente.

Id quod navigationes, ſeculo Dantis ignotæ prorſus, multis annis pòſt, demum aperuerunt. *Traian. Boccalini centur.* 2. *ragg.* 90. *fol. mihi* 396. Et Chriſtophorus Landinus, *in Commentar.* ad Dantem planè ineptit: nec tum enim id cognitum erat. Quin nec dubium habere queo, idem hoc Cumanam indicaviſſe Sibyllam; quæ (ut ex ſuo ſenſu Vergilius interpretatur) ita eſt vaticinata:

Alter erit tum Tiphys, & altera quæ vehat Argo
Delectos Heroas.

Carmen enim illud Sibyllinum, quod Bucolicis Maronianis *Eclog.* 4. conſpicitur inſertum, non ſolùm vaticinatio eſt de adventu Chriſti; ſed & ſpectare videtur ad ſecula pòſt ſubſequuta, & quæ nec dum hodiè ſunt finita: quod (ſi Deo placuerit) alio loco commonſtrabo. Quid, ſi Eſaiæ Prophetiam, quæ eſt cap. 18. hùc accõmodemus? væ terræ, cymbalo alarum, quæ eſt trans flumina Aethiopiæ. Ite Angeli veloces, ad gentem convulſam, & dilaceratam (*per Atanticum ſcilicèt mare*) ad opulum terribilem, poſt quem non eſt alius: ad gentem exſpectantem & coulcatam; cuius diripuerunt flumina

terram (*diluvium illud, cuius mentio fit infrà numero* 10.) Ante messem tota efflloruit, & immatura perfectio germinabit. Relinquetur simul avibus montium, & bestijs terræ; & æstate perpetuà erunt super eum volucres, & omnes bestiæ terræ super illum hyemabunt. In tempore illo deferetur munus Domino exercituum, à populo divulso. &c. Et sunt pariter hâc qui de re, Hobadiam quoque Prophetam loqui censent; cùm *vers.* 20. scribit: Et transmigratio filiorum Israel qui Chennaanim, usque ad Sarphath. Et transmigratio Jeruschalaim quæ in Sepharad, possidebunt Civitates Austri. Ubi Jonathan Uzielis, optimus & apertissimus Prophetarum interpres, in Chaldaicâ paraphrasi, pro Sepharad (ספרד) Hispaniam (ספמוייצ) ponit. Ac sanè ex etymi veritate, Sepharad (quippe quod componitur ex סוף & ורד vel רדה) consûmationem descensionis aut Imperij notat: quod epitheton haut impertinenter adtribui Hispaniæ potest. Et quidam etiam צרפת (Sarphat) pro Franciâ sumunt. Benjamin Tudelens. *in Itinerario ad finem.* Illud quoque constat; Insulares hosce novos, à suis Diis, quos Zemes adpellant, paulò ante Hispanorum adpulsum, ejusmodi responsum accepisse: Venturam eò, indutam vestibus gentem, quæ subigeret regionem, & ipsorum pariter aboleret Deos: ut memoriæ mandavit Bembus. *hist. Venet. lib. 6.* ac refert etiam Benzo, *historiæ novi orbis, lib. 1. cap. 8.*

Vid. Iosephum Acostam. lib. 1. cap. 15.

Ian. Drusius Quæst. Ebraicar lib. 3. c. 53.

3. At nunc nobis exquirendum erit; quomodò tot jam retrò seculis præterlapsis, hæ tantæ magnitudinis terræ, simul & opulentæ, potuerint latere nostrates? præsertim cùm non in obscuro aliquo orbis angulo sitæ sint; suâ sed amplitudine, in Zonas temperatas pariter ac intemperatas, longissimis tractibus extendantur; ut si ad hancce terram per Zonarum unam, commodè navigare non liceret; eadem tamen per aliâ adiri posset. Quòd si perpendimus insatiabilem auri argentique famem, quâ non per mare solùm, perque terras; sed & per saxa per ignes, vel extremos usque Indos mortales feruntur: mirum certè est, neminem ad tàm opulentissima Regna hactenùs adpulisse. Neque minùs hoc accidit mirum, si Regum & Monarcharum summam dominandi cupiditatem consideremus; qui ut etiam ex remotissimis terris, Regnis suis facerent accessionem, nihil intentatum reliquerunt: quomodò eos seculis tot, tot Regnorum ditissimorum terra, potuerit occulta manere: Et aliâs hominum est curiositas magna; dum nova subindè inquirere, summo studio laborant; adeò ut etiam ea, in viscera terræ abstrusa quæ continentur, non effugerint aciem humanam: ut verè liceat mirari, ea quæ in ejusdem superficie sunt, tot seculis incognita potuisse permanere. Aristoteles quidem *in libello de Mirabilibus auditis*, verosimilem hujus rei rationem adducit, dum ita scribit: In Atlantico mari extra Herculis columnas,

Schmid in discurs. de Insulâ Atlant. fol. 262. &c. **Walch.** dict. fabul. 9. fol. 261. &c.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 4, [28] - 28

lumnas, insulam olim à Carthaginensibus repertam esse; à nullis tunc hominibus, sed feris tantùm habitatam, arboribus frequentibus refertam, fluminibus plurimis ad navigandum idoneis irriguam, à continente aliquot dierum navigatione remotam. Et addit: Cùm animadverterent Carthaginenses (qui olim Oceano occidentali, ut hodiè ferè Hispani, imperitabant) complusculos mercatores, hominesque alios, fertilitate loci, amœnitate, aerisque clementia allectos, suam ibi fixisse sedem; veriti sunt, ne si Insulæ illius fama ad alias nationes perveniret, magnus ex variis terræ locis ad illam fieret hominum concursus; qui forsan posteà peculiari Imperio constituto, sibi non tantùm præriperēt illius Insulæ felicitatem, sed & ex eâ Carthaginense Imperium infestarent, eive maris dominium extorquerent. Publico idcirco consilio decreverunt, morte etiam indictâ, nequis post hâc eò navigaret: & ne ab iis qui jamdùm illam Insulam occupàrant, periculum sibi metuendū esset; omnes eos, quibus quidem potiri potuerunt, expulerunt, aut interfecerunt. Atque hoc fortasse modo factum est; ut cùm Carthaginensibus id prohibentibus, & etiam hostiliter avertentibus hoc tentantes, nemo ampliùs eò navigare auderet: Insula indè illa (quæ sine dubio America, vel eidem vicina erat) tùm non fuerit explorata. Pro credibili itidem alij sumunt, neglectas etiam fuisse hasce regiones, propter Imperiorum, Romani præsertim, Græcanicique commutationes; quarum sanè occasione, totus noster Orbis, bellis vastationibusque jugiter ardebat: & quia Barbarorum primùm incursiones, tùm & Turcici Imperij incrementa, vires & cogitationes Europæorum, ita in se ex toto convertebant; ut navigationibus instituendis, non ullus iis locus relinqueretur. Nautica quoque Pyxis, veteribus incognita fuit: Guido Panciroll. *in Novis repert. cap.* 11. & ibi Salmuth. Petrus Bellonus, *observat. lib.* 2. *cap.* 16. Estienne Pasquier *lib.* 4. *des Recherches, cap.* 22. (vbi tamen eam, iam tempore Ludovici Sancti, in usu fuisse probat) ideoque ferè semper terrarum oras tantummodò legerunt olim navigantes; nemoque se facilè vasto Oceano committere fuit ausus. Lubet & aliam hîc subijcere narrationem, quæ aliqualem quoque suggerit rationem, cur non citiùs indagata fuerit terra illa nova. Cùm circa Annum à nativitate Salvatoris nostri DCCC. Vergilius Episcopus Tridentinus, Divini verbi sollicitus propagator, de Antipodibus (qui haut dubiè futuri essent si inquirerentur) cum Bonifacio (Germanorum Episcopo primo) & sermones institueret, & disputaret, ac pro adfirmante contenderet parte; ægrè rem hanc Bonifacius tulit, erroneumque Vergilium judicavit, ac etiam apud Pontificem maximum malè sanæ opinionis reum egit. Pontifex, qui nec ipse harum rerum rationis momenta sat capiebat; Vergilio

Ex Aventino Histor. Magdeburgensis, cent. 8. c. 10. fol. 785. *VValch.* dict. fab. 9. fol. 258. *Cyriacus* Spangenberger/ inder Historia Bonifacii 1. c. 40. *Loys Guyon*, tom. 2. des diverses leçons lib. 4. cap. 13. & seq.

gilio silentium indixit, anathemate illi etiam, ni desisteret, interminatus.

4. Sed ut ut hactenùs enumeratæ conjecturæ probabiles sint: caussa tamen sublimior omninò, mihi subesse videtur. Et nimirùm ille, qui temporum periodos & signa, mirabilemque seculorum, vel per transennam modò inspexit harmoniam; qui scit, Deum staterâ ponderasse ævum, & mensurâ tempora mensum esse, ac numero tempora numerâsse: *Esdræ lib.4. cap.4.vers.*37. ille, inquam, operâ facillimâ deprehendet; consonantiam maxumam, & typicam subesse harmoniam; (1) inter tempus populi Israelitici ex Ægypto liberati, (2) inter tempus Ecclesiæ primitivæ, post Salvatoris nostri passionem, (3) & tandem etiam inter seculum Evangelicæ reformationis. Exindeque lumen infertur haut obscurum, prophetiis, prophetiarumque complurimis typis. Pervenerat opinio factarum virtutum in Ægypto, ad omnes gentes; teste Rachab meretrice, quæ hospitio susceperat Josuæ exploratores, in Jerichontem missos. *Iosuæ 2. vers.9.&c.* Ac indè quoque lib.1. Samuel.*cap.* 4.*vers.*8. Deus Israelis, à Philistæis gentilibus vocatur (Idololatrarum Phrasi) Dij illustres, qui percussérunt Ægyptum. Vid. Drusium, *ad loca difficil. Samuel.ibid.* Sic & jam ante Judæorum Metropoleos eversioné, Evangelium per Mundum universum effusum erat. Debuerunt enim Apostoli, testes esse Salvatori nostro & Hierosolymis, & in totâ Judæâ, & Samariâ, & usque ad ultimas terras *Actor.1.vers.*8. In omnem terram exivit sonus eorum, & verba eorum ad ultima terrarum orbis: ait Div. Paulus. *Romanor.*10. *vers.*18. Qui idem alibi scribit: prædicatum esse Evangelium omni creaturæ quæ est sub cœlo. *Colossens.1.vers.23.* Ita etiam Theodoretus, *Græcar. affectionum curat.lib.9. fol.m.* 125. nostros illos Piscatores & Publicanos, & nostrum illum scytotomum (Paulum intelligit, ut puto) ad Evangelicam legem, non Romanos solùm, & qui sub Romano Imperio vivebant; sed Scythas & Sauromatas quoque, Indos, Æthiopas, Persas, Seres, Hircanos, Britannos, Cimmerios, Germanos, omne denique genus humanum, & omnes nationes, adfirmat induxisse. Illustre etiam testimonium est Tertulliani, & proposito nostro inprimis accommodatum, qui *lib. adverſ. Iudæos, tit. de Nativitate Christi,* Salvatori nostro credidisse confirmat; Getulorum varietates, & Maurorum multos fines, & omnes terminos Hispaniarum & Galliarũ diversas nationes, & Britannorum inaccessa Romanis loca; & quoque gentes Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum & abditarum multarum gentium, & Provinciarum, & Insularum multarum, nobis ignotarum, & quæ minùs enumerare possimus, Christo se submisisse. Pariliter verò alterum Dei Filii adventum, præcessuram

Robert. Abbat. in demonstrat. Antichrist. cap 5.

Evangelij

Evangelij prædicationem in universo Mundo, jam certè olim annunciatum prædictumque fuit. Quòd si inter omnia ea, quæ prædixit Jhesus Christus, certum aliquod sui adventus indicium quærendum est; nullum certius existere Sanctus Augustinus, *Epist.* 78. & 80. *ad Hesych.* ait: quàm ubi Evangelium in toto terrarum orbe fuerit prædicatum. Et apertissima enim hâc de re legitur sententia Salvatoris nostri, dicentis: *Matth.* 24. *v.* 14. Et prædicabitur hoc Evangelium Regni in orbe universo, in testimonium omnibus gentibus (quæ certè verba, propriè & non synecdochicâs sunt accipienda) & tunc consummatio veniet: cujus typus est, destructio Civitatis & Templi Hierosolymitani. Est ideoq; *consummatio*, complementum omnium Prophetiarum, quæ faciunt mentionem temporis extremi. Et hoc intuitu Origenes quoque *tract.* 28. *in Matth.* insequentia scribit: Si quis temerè dicere vult, Evangeliũ jam esse prædicatum in orbe, in testimonium omnibus gentibus; consequenter dicere possit, jam venisse finem. Latè Cardinalis Bellarminus *lib.* 3. *de Pontifice, cap.* 4. Sic igitur Evangelium est prædicandum, quò ex omnibus gentibus, & tribubus, & Populis, & linguis, filij Regni colligantur: ut in Apocal. Div. Johannes *cap.* 7. *vers.* 9. prævidit. Hæcque jam modò inceperunt; non solùm per Ecclesiæ ex Evangelicâ normâ reformationem: sed & (quæ non sine mysterio magno, in idem ferè incidit tempus) novarum Insularum detectionem. Ubi solummodò unus ex Fratribus Franciscanis, circiter quadraginta hominum millia, sacro fonte tinxisse refertur à Botero. *Relat. part.* 4. *lib.* 3. Ubi etiam Patres Societatis Jesu, & si qui sunt alij, Romano-Catholicæ addicti Religioni, ferè non nisi Evangelicam fidem; superstitionibus plerisque resecatis, docere, Philippus Nicolai probare conatur, *lib.* 1. *de Regno Christi, cap.* 1. *fol. m.* 53. *&c. ac ibid. fol.* 90. *&c.* ut & Wenceslaus Budo Wetz *in Circulo horologij &c. fol.* 206. *&c.* Ac quod alias adtinet amplissimas terræ portiones, quæ adhûc dum incognitæ manent (nam sanè terra Australis, & circa Antarcticum Polum, pro tertiâ orbis parte habetur, *vide tom.* 5. *d.* Mercure Frangois, *fol.* 120. &c. ac adde libellum supplicem Ducis Petri Fernandez de Quir, *quæ iuncta est descriptioni freti, ab Henrico Hudsono detecti. vbi multa de illâ Australi terrâ.* vel in quibus hâc etiam ætate nostrâ, nondum annuntiatam esse Christianam Religionem constat: spes tamen omninò me pulcherrima fovet; favente clementiâ Dei, eas brevi aperiendas, in illasque Sacra Christiana implantanda esse. Quî ambigemus de Gentium ad fidem vocatione, (ait Seraphinus Firmanus *in præfat. Apocalyps.*) si in novis Indiarum regionibus; quæ & situs magnitudine, & populorum frequentiâ, totam vincunt Europam, passim insonare non cessat Evangelij tuba? Add. Cæl. Curionem, de amplitudine

Vid. Remaclis. de Vaulx Hartpocratem Divinum, part. 2. à fol. 194. usque 233.

Regni Dei, *lib.1.fol.mihi* 44. *&c.ac fol.*50. *&c.* Sanè huic tantæ rei, viam amplam voluit aperire Deus, per potentiam Hispanorum: eosque candidissimus Historicorum Jac. Aug. Thuanus, *lib.*1. *fol.m.*5. ad hoc magnitudinis culmen evectos esse, sapientissimè censet; ut cùm Christianæ promulgationem Religionis, in omnes terras ante seculorum consummationem oporteat diffundi; quò ideò essent, qui tàm longinquas ac difficiles, viribus suis freti, susciperent navigationes, quique ibi inter tot gentes, incognitum antè Christi nomen, *vel perperàm* celebrarent. Nam certè miraculis, & vitæ innocentiâ, optimè convertuntur gentes. Exemplum eius rei memoriâ dignum, habet Historia Tripartita, *lib.*2. *cap* 21. Thomas Campanella, *cap.*31. *Hispanicæ Monarchiæ*, eo nomine cumprimis, Imperium Hispanorum, præcedentibus Monarchiis cunctis præfert; quòd hisce terrarum immensis spatiis dominetur, quodque Deus in eorum manus, illas non sine miraculo fiverit pervenire. Ibidemque in quo impegerint Hispani, ac quomodò eiusmodi defectus queant resarciri, non imprudenter monet. Elegantissimè Battista Guarini, *in proleg. Pastoris Fidi.* de Rege Hispanorum.

A la cui monarchia nascono i Mondi.
——Al vostro possente altero Sole,
Che usci dal grande, & per voir chiaro occaso,
Si veggon d' ogni clima
Nascer provincie, e regni,
E crescer palme, e pullular trofei.
——— A cui
Nè anco quando annotta il sol tramonta.

Ac iam suprà alicubi dixi, arcano Dei iudicio tantam cladem Americanis fuisse immissam. Indeque Ferdinaudi Cortesii (qui Peru & Mexicanam subegit regionem) Symbolum fuit: Iudicium Domini adprehendit eos, & fortitudo corroboravit brachium meum. adde Montaigne *lib.*3. *des essais*, *cap.*6. *fol.mihi* 918. *&c.* Bellarminus item, *lib.*4. *de Ecclesiâ militante*, *cap.*7. exindè Ecclesiam Romanam verè Catholicam esse contenditur, quòd eius fides per totum orbem, & etiam in Indiam utramque fuerit propagata. Idemque *ibidem cap.*12. Catholicorum, non Hæreticorum esse scribit, infideles convertere ad fidem. Quam etiam ob caussam, ad introducendam nempè gentium plenitudinem in ovile Christi, & ne in hâc parte nostrates, segniores Romano-Catholicis sint; utque restituerent, quod ob avaritiam crudelitatemque Hispani neglexisse dicuntur: sancto nuperrimè zelo motus, egregium libellum, *Iustus Heurnius* edidit (Johannis, Medici illius præstantissimi filius) *De Legatione ad Indos capessendâ*, inscriptum; omnium piorum relectione

relectione dignum. Porrò etiam ingens illud ſpatium terræ, immenſus ille tractus, & verè alter Orbis, qui poſt irruptionem Hiſpanorum, vaſtus mox attrituſque adparebat: habitatur iterum nunc, coliturque. Lipſius 2. *de Conſtantiâ, cap.* 22. Ac plures nunc in Indiis ſubditos Chriſtianos habere Hiſpaniarum Regem, plura monaſteria, Eccleſias, Civitates, ac Caſtra plura; quàm alibi locorum: Eliud Nicolai ſcribit. In der Newen Relation, von West: vnd Ost Indien/ *cap.* 1. Inibique multos eſſe Epiſcopatus, Academias duas, quamplurima Collegia Societatis Ieſu, infinitumque numerum Chriſtianorum, Aubertus Miræus refert, *tract. de ſtatu Religionis Chriſtianæ, lib. vlt.* qui idem *lib.* 2. *cap.* 15. *eiuſdem tractatus*, ſtatum Religionis Chriſtianæ, in Indiâ Orientali depingit.

5. Etiam non curioſa, vel inutilis conſideratio eſſe videtur; *Annè veteribus vel Græcis vel Romanis, gentibuſvè aliis, notæ fuerint illæ, quas nunc Indiæ Occidentalis titulo indigitamus, regiones?* Id quod ſanè multas propter rationes graviſſimi momenti, negandum eſſe quamplurimis videtur. Nam & olim Sancti etiam Patres, terram haut rotundam, nec ideò Antipodes eſſe cenſuerunt. Alios nunc obmitto, unus atque alter tantummodò audiatur. Lactantius Firmianus, *Inſt. Divinar. lib.* 3. *cap.* 24. Quid illi (ait) qui eſſe contrarios veſtigijs noſtris Antipodas putant; num aliquid loquuntur? aut eſt quiſquàm tàm ineptus, qui homines eſſe credat, quorum veſtigia ſunt ſuperiora, quàm capita? aut ibi, quæ apud nos jacent inverſa, pendère; fruges & arbores deorsùm verſus creſcere; pluvias, & nives, & grandinem, ſurſùm verſus cadere in terram? Et miratur aliquis hortos penſiles, inter ſeptem mira narrari; cùm Philoſophi, & agros, & maria, & urbes, & montes penſiles facere auſint? *Et paulò pòſt*: Si autem rotunda etiam terra foret, neceſſe eſſet, ut in omnes Cœli partes eandem faciem gerat: id eſt, montes erigat, campos tendat, maria conſternat. Quod ſi eſſet, *etiam ſequeretur illud extremum; ut nulla terræ pars ſit, quæ non ab hominibus, cæteriſque animalibus incolatur.* Sicque pendulos iſtos Antipodas, cœli rotunditas adinvenit. Parilia ferè Divus Auguſtinus habet, *lib.* 16. *d. Civit. Dei, cap.* 9. Quòd Antipodas eſſe fabulantur; id eſt, homines â contrariâ parte, ubi Sol oritur, quandò occidit nobis, adverſa pedibus noſtris calcare veſtigia: nullâ hoc, inquit, ratione credendum eſt. *Neque hoc ullâ Hiſtoricâ cognitione didiciſſe ſe adfirmant*: ſed quaſi ratiocinando conjectant; eò, quòd intra convexa cœli, terra ſuſpenſa ſit, eundemque locum mundus habeat, & infimum & medium. Et ex hoc opinantur; alteram terræ partem, quæ infrà eſt, habitatione hominum carere non poſſe. *Et aliquantùm pòſt*: Nimis abſurdum eſt ut dicatur, aliquos homines ex hâc in illam partem, Oceani immenſitate trajectâ navigare, ac pervenire potuiſſe;

Acoſta, 1. cap. 1. & cap. 7. ac 8.

tuisse; ut etiam illîc ex uno illo primo homine genus instituerétur humanum, &c. Quin & constans illorum quoque, Antipodes qui asserue-runt, opinio fuit (cui Cicero *d. Republ. lib. 6.* & Pomp. Mela, *cap. 1. lib. 1.* ac maxumi quique suffragantur) plagam eorum penitùs nobis incogni-tam esse. Et Cicero inprimis interfusum maximum inter nos & illos ἀντίχθονας Oceanum existimavit, quem nemo unquàm penetrârit. Cui & Macrobius adstipulatur, *in Somnio Scipion. lib. 2. cap. 5. ad fin.*

6. Mentio quidem fit 1. Regum, *cap. 9. v. 26. & c.* ac etiam 2. Para-lipom. *cap. 8. vers. 17. & c.* classis à Salomone & Hiramo, ad advehendum aurum ex אוֹפִירָה (Ophira) emissæ: unde etiam multa auri talenta, reli-que aliæ pretiosæ allatæ fuerunt. Hanc Ophiram eandem esse cum A-mericâ nostrâ, sunt qui adstruere nitantur. Ajunt enim, locum ubi sol-verunt oram, portum esse rubri maris; indè per Æthiopicum Oceanũ, ad Americam commodo cursu naves pervenire potuisse. Ajunt, nomina non admodùm discrepare: Ophiram etenim eandem esse, quæ hodiè Peruana; præsertim cùm eadem Historia sacra, aurum illud ex Ophirâ præstantissimum, alibi aurum Peruanum vel ex Parvajm (פַּרְוַיִם soleat indigitare. 2. *Paralip. cap. 3. vers. 6.* At verò classem illam Salomo-nis, haut occidentem versus, sed magis in Indiam Orientalem intendis-se vela, probabile mihi est: quod & Josephus, *libr. 7. & antiquit. cap. 2.* censere videtur. Et Ophira absque dubio sic adpellata fuit, ab Ophir (אוֹפִיר) filio Jektan, ex posteris Semi, cujus Genes. *cap. 10. vers. 29.* mé-tio fit: quique, Josepho teste, *lib. 1. antiq. cap. 7.* unà cum fratribus suis, sedem constituit in Oriente, & à Cophene fluvio Indiæ, ad Assyriam us-que habitavit. Inibi regionem Ophiram, auri ditissimam fuisse, ejus-que aurum, puritatis nomine principem tenuisse locum, credibile est; & indè non Hebræis solùm, Ophira per translationem, quamcunque auriferam regionem designare; sed & aurum bonum, atque defecatum, corruptè obryzum, quasi ophirizum, indigitari cœpit. Salomonia ideoque classis ad terram Ophiriam demissa; Taprobanem, Malacham, auream Chersonesum, aliasque Orientis auriferas adpulit terras. Nec etiam probabile valdè est, ut Indiâ Orientali, auri ditissimâ relictâ, ad illam Occidentalem, per tot spatiorum millia classis mitteretur; ad eam præsertim regionem, cujus per continentem nulla notitia potuerit ha-beri. Et de hoc itidem testis est Acosta *lib. 1. c. 13.* nomen Peru novum, nec ipsis illius terræ incolis cognitum esse: & item quid ac ubi Pervaijm inveniatur, doctè Franciscus Junius enodat: *in not. ad cap. 3. vers. 6. lib. 1. Paralip.* & item Clariss. Buxtorff. amicus meus, *in Lexic. Hebr. verb. Par-vaijm. fol. mihi 614.*

Goropius Beca-nus, in His-pan. lib. 6. ad fin. & lib. 7. latè. *post Genebrardum Mornæus*, de ve-ritate Religio-nis, cap. 26. fol. mihi 516. *Schmi dius*. de Atlant. f. 261. *Dn. D. Lansius*, in Cõ-sultat. de Pro-vinciar. Euro-pæ prærogati-vâ. Orat. pro His-pan. fol. 210 aliisque locis pluribus, quæ indicat Index verb. Ophir. *Neander* in or-bis Terræ ex-plicat. part. 1. A 7. *Salmuth*. suprà dict. loc. fol. 31. &c. *Acosta. 1. c.* 13. & seq. *Schind ler*. in Lexic. pentaglott. fol. 112. *Becman*. in Orig. Lat. Ling verb. Obrizũ. *Guil. Postellus*, de Originibus, cap. 21. ad fin.

7. Famosa

7. Famosa porrò navigatio est Hannonis Carthaginensis (de qua pluribus, Mariana, *histor. Hispan. lib. 1. cap. 21. & seq.* ut & Iambuli Græci mercatoris, cujus Diodorus Siculus mentionem facit. *lib. 2. Bibliothec. n. 55. &c.* Veruntamen omnes illæ Indiam Orientalem, non de quâ nunc sermo est, Occidentalem versus directæ fuerunt. Nec etiam errores Menelai, & item navigatio Eudoxi (quo de utroque Strabo disputat *lib. 2.*) ad alias, quàm Africam, & quasdam Indiæ orientalis Regiones pertigisse comparet: *add. Plinium. 2. cap. 67.* secus ac eruditissimus Walchius putat. *Sæpè laudato loc. fol. 260. & seq.*

Vide *tractatū*, *cujus inscriptio Discours sur la navigation d'Hanno*, dressée par un pilot Portugues. *ut & le Discours de Seign. Iehan. Baptiste Rhamnusio*, sur la navigation de Iambol. Grec.

8. Sunt qui Americanos ex decem Israelis tribub 15 deducant. Vid. Claude Duret, *hist. de Lang. cap. 78. fol. 933.* Libro itidem Esdræ *4. cap. 13. vers. 40. &c.* subsequentia inveniuntur verba: Hæ sunt decem tribus captivæ abductæ è terrâ suâ, diebus Hoschehæ Regis, quem captivum abduxit Schalmanasar Rex Assyriorum; quæ deportatæ cis flumen, posteà deportatæ sunt in aliam terram. Ipsi autem sibi hoc consilium ceperunt, ut derelinquerent multitudinem gentium, profecti in ulteriorem Regionem, ubi nunquàm genus humanum habitavit: ut ibi observarēt legitima statuta, quæ non observaverant in regione suâ. Per introitus autem fluminis Euphratis angustos introierunt. Et in eam Regionem perventuris, fuit via magna, iter unius & dimidij anni: regio autem illa Harscharet vocatur. Tunc habitaverunt ibi ad ultimum usque tempus. Atheæ, vel apocrypha, vel vana sunt. neque enim dubium est mihi ullum, quin quartus ille Esdræ liber, multa aliàs optimæ notæ cōprehendens, quàmplurima quoque admixta habeat ab alienâ manu. (de authoritate huius libri 4. Esdræ, vide Bibliandrum, *in Somnio Esdræ, fol. 7.* Iacob. Cappellum, *vindiciarum pro Casaubono. lib. 2. cap. 5.*) Quin &, licet ibi vera Historia recenseretur: attamen ad Americam haut eam referri posse, exindè non difficulter colligere quimus; quòd Iudæi tenacissimi sunt tàm linguæ, quàm ceremoniarum Hebraicarum. Quarum ne vestigium quidem ullum eò loci reliquum est; cùm tamen earum conservandarum causâ, Iudæos illos se ab aliis separâsse, ipse commemoret Esdras.

"Vid. *Acostā* "lib. 1. cap. 23.
"
"
"
"
"
"
"
"
"

9. Alij itidem adhûc inveniuntur, qui jam olim in Insulis illis, ab Hispanis recèns indagatis, Christi nomen annuntiatum fuisse, putant: cùm monimenta fidei Christianæ, in terris sepulta, fodiendo fuerint reperta; ut Osorius *in histor.* prodit. Marinæus item Siculus, in Hispanico Chronico contendit; loca ista, quondam etiam à Romanis perlustrata fuisse: ex eo, quòd numus antiquus, Augusti Cæsaris effigie notatus, in aurifodinis sit inventus, missusque in rei fidem ad Summum Pontificem, per Archiepiscopum Consentinum. Quod equidem ferè tàm

Abbatus demonstrat. Antichristi. c. 5. fol. 110. &c. *Philippus Nicolai*, lib. d. Regno Christi, suprà laudato loco, longo stylo. *Bertius*, in

Tabul. in descriptione Americæ, fol. 621. *Lipsium* Physiolog. Stoic. lib. 2. dissertat. 19. fol. 125.

facilè refutari potest, quàm dicitur speciosè. Mirum est, numum unicum repertum esse; præterea vestigium nullum: mirum amplius, numum illum in aurifodinis latuisse; nullum posteà eductum unquam. Historiam narrabo, â Bertio verissimam judicatam; ex quâ judicare licet, annón fucus aliquis subsit, sub Augusti numo, vel etiam sub lapidibus illis, quibus figura crucis insculpta, quæ in Americâ reperti fuisse, perhibentur? Circa idem propè tempus, quo Emmanuel Portugalliæ Rex, orientalem Indiam subegit; Ulyssipone, in Poeticâ laude florebat Hermicus Cajadus: is carminibus Latinis, commentus est Sibyllinam vaticinationem, columnis marmoreis inciſam; quâ per ambages significabat, sub imperium & ditionem Lusitanorum, Indos aliquandò perventuros. Lapides eos, datâ operâ detruncans (ut aliqua inessent vestigia antiquitatis) in promontorio quodam, propè oppidum Syntram, obrui præcepit. Ubi verò marmora defossa, vitium aliquod fecisse, ex humore terreno judicavit; ad certam diem invitat amicos in villam suam quæ loco proxuma fuit, ubi vaticinium occultatum erat. Quùm igitur accubuissent omnes, ecce Hermico nuntiatur, in fundo fossionibus incumbentes in lapides incidisse, quibus litteræ inscriptæ essent, indices magni Thesauri; sic enim rustici opinabantur. Nec mora, simul omnes, ingenti alacritate, relictis epulis accurrunt, columnas defossas intuentur, confestimque extrahi jubent. Legebantur posteà carmina Sibyllina.

Volventur saxa litteris, & ordine rectis,
Cùm videas Occidens.... Orientis opes:
Ganges, Indus, Tagus erit, mirabile visu,
Merces commutabit suas uterque tibi.

Tùm verò omnes pro se quisque versus illos fatidicos admirari, eosdē curare describendos, perferre Ulyssiponem, totique porrò ostentare mundo. Aliquid fortè simile accidit istiusmodi fugitivo Augusti numo! Illud (si modò verum) mirum magis videri posset, quod pro vero Hispani scribunt, & ex iis Lipsius refert: *dict. dissertat.* 19. In valle quâdam Provinciæ Chili, oppidum esse, quod Imperiale ab hâc causâ indigitetur; quoniam in plerisque domibus & portis, aquilas repererunt bicipites formatas, ut hodiè videmus in Imperij Romani signis. Et auget admirationem, quòd nulla iis in locis avis sit biceps, quam potuerint adumbrare. Sed nec id me permovere potest, ut ideò Romanis hasce terras adscribam, nimiùm enim recens est Aquilæ bicipitis inventum; & tùm si America cognita fuisset, haut ea potuisset in tàm clarâ Historiæ, literarumque illius seculi luce nos latere.

10. Verum-

10. Veruntamen nil obstantibus hactenus adductis, verissimum omninò mihi videtur; Insulas, adjacentemque novi illius Orbis continentem, & olim multa ante secula Orbi nostro non planè incognitam extitisse: nec (ut Salmuth *in not. ad nova reperta Pancirol. cap. 1. fol. 53.* Acosta *lib. 1. cap. 11.* Iacob. Martini, Philosophus Wittebergensis, *Disputat. Miscellan. fol. mihi 599.* aliique reputaverunt) in secreto Divinæ tantummodò mentis hucusque latuisse. Est etenim apud Platonem, *in Critiâ ac Timæo* (ut & in Plutarchi Solone) memoria vetustissimæ Insulæ Atlantidis, adeò magnæ, ut Asiâ atque Africâ ampliorem esse scribat. Ac eandem ita describit; ut mihi videatur non locum esse dubitationi, quin Orbis hicce novus, aut pars, aut ipsa sit Platonica illa terra. Primò enim facit, locatque Insulam istam grandem, ad fauces Gaditani maris, quæ longè latéque, introrsùm scilicet pateret; & ex quâ transitus esset ad Insulas alias, ac ex istis iterum ad oppositam continentem, mari adjacentem. Hæc si consideras & scrutaris; nil aliud dicere videtur, nisi Insulam illam magnam, statim ab Hispaniâ fuisse; ubi etiam hodiè adhùc (postquàm illa illuvione perit) ejus velut fragmenta supersunt: Canariæ Fortunatæ, ac si quas alias tota Africæ ora, & interior, Insulas habet. Ex illa porrò, memorat Plato, transitum in Insulas fuisse (eas putà, quæ nunc quoque præjacent continenti; Cubam, Hispaniolam, Iamaicam, & plures) at ex Insulis in ipsam continentem: nempè vel in Peruanum vastum tractum, vel in vastiorem Mexicanum. Aut, si terræ spatium ita magnum, undis absorptum fuisse negas: accipe ea omnia de pelago oblivionis (ut quoque placuit Postello, *in libr. de Originib. cap 9. fol 35.*) quod certè orbem hunc cognitum aliquandò absumpsit, & vix vestigia aliqua ejusdem, apud posteros reliquit. Ut ut contra hæc disputent viri gravissimi multi, non tamen satis refelli possunt; cùm experientia fecerit notum, ea quæ hisce de rebus Plato ex fide Ægyptiacæ Historiæ narrat, cum Indiis nostris convenire. Præterea Proclus, Marcelli cujusdam Æthiopicas Historias adducit, in quibus hæc eadem manifestissimè confirmantur; Æthiopumque rebus gestis inserta fuisse, produntur. Marsil. Ficinus. *in Argum. Critiæ.* Ac forsan ex Atlantidis apud Ægyptios, quæ reliqua memoria fuit, evenit; quòd (ut Ammianus Marcellinus notat, *lib. 17.*) in Obeliscis eorum sculpta inveniuntur, volucrũ, ferarumque etiam alieni mundi, genera multa (vid. Postellum, *dict. cap. 9* vbi tradit, etiam Indos Occidentales hieroglyphicis vti: quod & notat Claude Duret, *tract. de Langues, cap. 79. fol. 944. & seq.*) Non huic dissimile est, quod AElianus, *variæ histor. lib. 2. cap. 18.* refert: Midam Phrygiæ Regem, à Sileno didicisse; Continentem unam, extra mundũ hunc, & magnitudinem infinitam, immensamque esse. Plutarchus pariter,

Goropius, in Origin. Antuerp. in Niloscopio suo. *Lipsius* Stoicæ Physiolog. libr. 2. dissertat. 19. *Langius*, Epist. Medic. lib. 1. Epist. 63. *Ioh. Thomas Freigius*, in descript. navigat. Martini Forbisseri Angli. *Bernh. Aldrete*, lib. 4. cap. 17. *Schmidius*, d. Insul. Atlant. f. 258. & seq. *Dn. D. Lansius* Cõsult. d. Principatu Provinciar. Europæ. Orat. contra Hisp. fol. 331. & seq. *Vander-Myl.* tract. de Linguâ Belgicâ, cap. 25. *Michel. Seign. de Montaigne*, 1. des Essais cap. 30. à prin. *Frider. Lumnius*, in tract. de vicinitat. extremi Iudicij, lib. 1. cap. 12. & lib. 2. cap. 1. 4. & 5. *Add. Eugubin. Steuchum*, d. peren. Philosoph. lib. 7. cap. 5. ad fin. *Keckerman.* in Contemplat. d. terræ motu. fol. m. 225 *Salmuth.* Sæpè

alleg. loco. fol. 30. *Acosta.* In cap. 22.

riter, *in tr. de Imagine, quæ in Luna adparet*, aliquid narrat; quod hûc facere posse, putem: sed tenebricosum id est, quasique sub crepusculum videntis, & vix ita clarum adparet, quàm ea ipsa imago Lunæ, de quâ ibi agit. Introducit is nescio quem Philosophum Syllam, familiarem suum, narrantem quædam fabulosa; sed umbram qualem qualem habentia veri. Dicit, à Britanniâ dierum quinque navigatione, Occidentem versus, Ogygiam Insulam jacere, & ultra illam, alias tres in quarũ unâ Barbari fingant, à Jove captivum detineri Saturnum. Supra Ogygiam, stadiis quinquies mille, & item supra Insulas alias spatio minore, quandam esse maxumam terram continentem. Hæc & cætera, quæ ibi subsequuntur, Occidentali Indiæ aptissimè Abrah. Vander-Mylius accommodat, in elegantiss. de Linguâ Belgicâ tractatu. *cap. 25. fol. 106. & seqq. multu.* Sic & princeps, ac antiquissimus Poetarum Homerus, *lib. 1. Odyss.* duplices Æthiopas facit; Orientales, & alios adhûc Occidentales: ac ad utrosque invisendos, sacrumque eorum convivium adeundum, Neptunum profectum fuisse fingit. Et licet nonnulli sint, hanc qui AEthiopum divisionem, non de distantia terrarum, sed de transitu Nili sumant: ratione cujus alii cis, alii ultra habitantes, Orientales & Occidentales dici queant: non desunt tamen eruditorum interpretationes, qui AEthiopas Orientales, eos qui sub AEgypto sunt, dicunt; sivè sivè ultra cis Nilũ siti inveniantur: Occidentales verò eos, qui in Atlantidis Insulâ (quæ nostra America est) habitârunt. Quæ sententia, & olim Cratetis fuit, ut legitur apud Strabonem, *libr. 1.* Quin & Plinius, *Natural. hist. lib. 6. cap. 31.* in Atlanticâ, AEthiopas Hesperios locare videtur: & eâdem in Insulâ, Neptunum fuisse cultum ait, quem nimirùm Homerus ad convivium sacrum AEthiopum utrorumque, utpotè suorum cultorum profectum dicit.

II. At ne priscas fabulas consectari tantummodò videamur: recentiora, & verè gesta recensere lubet. Quæso, quid aliud, quàm Insula
« quædam Americæ vicina fuit, cujus Aristoteles, suprà à me, *num. 3.* lau-
« dato loco, mentionem facit, & quam ipsam, vel ei sanè vicinam, Dio-
« dorus Siculus, *lib. 5. num. 19.* ita describit. Africam versus, permagna
« quædam Insula, in vasto Oceani pelago jacet, dierum complurium na-
« vigatione, à Libyâ in occasum declinans. Frugiferum ibi solum, cujus
« pars magna, in montes assurgit, nec exigua sese in campos expandit: quæ
« etiam amœnitate præcellit. amnes enim navigabiles per illam decur-
« runt, à quibus humectatur. Frequentes ibi Paradisi, variis arboribus
« consiti, & pomaria innumera, dulcibus aquis interfecta: villæ etiam
« sumptuosis ædificiis exornatæ, & compotoriæ in hortis tabernæ, florido
passim dispositu occurrant. Tantâ denique felicitate excellit, ut Deorum

non

non hominum habitaculum esse videatur. Olim, propter remotiorem à reliquo terrarum orbe situm, incognita erat; sed hâc tandem occasione reperta fuit. Phœnices à vetustissimis indè temporibus, crebras mercaturæ gratiâ navigationes instituerunt. Ac primùm juxta ipsum ad Columnas fretum, in Europæ peninsulâ, urbem posuêre Gades nuncupatam; hâcque ratione, investigatâ ultra Columnas orâ, cùm littora Africæ legerent, ventorum procellis, ad longinquos in Oceano tractus abrepti sunt: per multos tandem dies, vi tempestatis, ad Insulam (de quâ jam dictum) adpulerunt, naturamque ejus & felicitatem, à se primitùs cognitam, in aliorum deindè notitiam perduxerunt. *Hactenus Diodorus.* Solinus item, *Polyhistor. cap. ult.* & Plinius quoque refert. *lib. 6. cap. 31.* Iubam, exquisito Atlantico mari usque in occasum, etiam Gorgonum Insularum meminisse; ultra Gorgonas, Hesperidum Insulas, dierum quadraginta navigatione, in intimos maris recedere sinus. Insulas Fortunatas (quæ ità aliæ ab Hesperidum Insulis sunt) contra lævam Mauritaniæ jacere.

12. Clemens porrò, discipulus Divi Petri, in Epistolâ quâdam, Oceani mentionem facit, & Mundorum qui trans ipsum existunt: ita Sanctus Hieronymus ex eo citat, *tom. 9. ad cap. 2. Epist. ad Ephes.* Ac quoque Origenes, *periarchon lib. 2. cap. 3.* ut & Eusebius, *de præparat. Evangel. lib. 15. cap. 50. 54. & 56.* Mundos ob magnitudinem, ut credo, adpellavit. Et de iisdem quoque terris, quis non accipiet lubens? quod ex aliorum sensu recenset Avitus Declamator (apud Senecam, *Suasor. 1.*) dũ ait: Fertiles in Oceano jacere terras, ultraque Oceanum rursùs alia littora, alium nasci orbem. Clariùs, si nostra tempora inspiciamus, vix potuit effari, aut designare; quamvis tùm Avito ridiculum id fuerit visum: ideoque addit; Facilè ista finguntur, quia Oceanus navigari non potest. Palàm etiam Seneca ostendit, *quæst. Natural. lib. 5. cap. ult.* Reges magnos, gentesque ignotas, ultra maria esse; & timet etiam, ne aliquandò in nostrum excurrant orbem. Nulla, inquit, terra, tàm longè remota est, quæ non mittere aliquò suum malum possit. Undè scio, an nunc aliquis magnæ gentis in abdito dominus, fortunæ indulgentiâ tumens, non contineat intra terminos arma, ait paret classes ignota moliens? Et hæc sanè Indis Occiduis evenerunt, ignarissimis Hispanorum. Maro itidem terræ illius mentionem facit; & vaticinatur, etiam Romano Imperio eam subijciendam: *Æneid. 6.*

——Iacet extra sidera tellus,
Extra anni, Solisque vias; ubi cœlifer Atlas
Axem humero torquet, stellis ardentibus aptum.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 4, [39] - 39

Extra sidera, quòd eam locat, Planetas intellige, qui intra Tropicos decurrunt: & ideò, velut interpretans addit; extra Solis & Anni vias. Ergò ultra torridam ponit, ac quidem Austrum versus, & ἀνάξονα nobis. Sic & quod de Atlante scribit: haut de illo Africæ est accipiendũ, sed eo, quem Plato celebravit; quemque istis in locis regnavisse refert. Addatur Claude Duret, *histor. des Langues, cap. 78. fol. 932.* vbi plura testimonia habet.

13. At tandem nunc sub manu nascitur nobis, disputatio admodũ intricata; ex quánam gente, ex quâ item terrâ, quovè tempore, homines, & animantia etiam reliqua, pervenerint in illas regiones? Nil certè ex doctrinâ Divinâ (*Genes. cap. 9. vers. 19.* certius est, quàm Indos illos Occidentales, non ἀυτόχθονας, aut etiam διοπετεῖς; sed ex aliqua Orbis nostri parte (& etiam post diluvium universale) eorum stirpem eò translatam esse. Antiquitùs sanè fuisse cultam, neque paucis retrò seculis habitari cœptam; tùm alia permulta testantur, tùm potissimùm ratio Imperij constans, atque certa, urbium, & viarum superba structura, ædificiorum splendor: quæ omnia, cùm apud illos fuerint summa, necesse est primùm exigua fuisse; è minimis autem ad maxuma trahi nequiverunt, nisi temporis longiori mora. Hortus inibi Regius fuisse fertur; in quo herbæ, arboresque cum suis truncis, ramis, fructibus, ex solido auro, eâ mole stabant, qua in pomariis vivæ. Fertur & Regium fuisse conclave, in quo omne animantium genus ex gemmis erat; opere partim segmentato, partim cœlato, partim etiam ex plumis variè conserto. Sed & antiquitatem cumprimis testatur id, quod de duabus Regiis referunt viis: quarum altera per planitiem camposque strata; ab urbe Peruana Quito, ad civitatem usque Cusco, milliarium quingentorum spatio excurrit: augent ejus decus, lapidum & saxorum stupendæ moles, non equis aut bobus (nam illis caruerunt) sed humanis solùm manibus aggestæ. Per itinera etiam disposita fuerunt diversoria ampla, splendida, amœna; quibus regius omnis comitatus recipiebatur. Vias hasce Guinacava Rex (qui non diu ante Hispanorum adpulsum vixit) perpurgari, parietes ruinosos restaurari, exornarique fecit: opus aliàs ipsum, vetustissimum judicatur. Exindè quoque convinci posse puto, jam ante secula multa, terras hasce cultas, & ab hominibus inhabitas fuisse: quia inibi ædificiorum ruinæ magnitudinis admirandæ, & item Gigantum ossa inveniuntur: ut Acosta, *lib 1. cap. 19. fol. m. 39. & cap. 25.* attestatur. Quales homines jam olim, multorum ante annorum spatia fuerunt, & mundo ad senium vergente defecerunt: quod & notat Esras *lib. 4. cap. 5. vers. 52. &c.*

14. Adhæc verò ita arbitror habendum; non casu, tempestatibusvè invitos jactatos (id, quod tamen aliqui putant) primos habitatores in occiduas

Bertius, in tabul. contract. ubi de Americâ agit. *Ac de Magnitudinè, admirandisque Imperij Mexicani &c. multa habet Guyon*, tom. 3. d. diverf. leçons sparsim.

Vid. *Acostam*, lib. 1. cap. 19. & seq.

occiduas Indias, velut è naufragio emersisse. Ecquis enim animalia illa, quæ novus orbis habet, & quidem noxia multa, illûc transportavit? Undè quæso factum, ut animalia nobis nota, non habeat iste orbis; nos verò prorsùs careamus illis, quæ inibi inveniuntur? namque alias ibi, ac apud nos animalium species esse, multis Acosta, *lib. 4. cap. 33. ac seqq.* docet. Non ideoque quod Bernhard. Aldrete. 4. *cap.* 17. *ad fin. fol.* 567. prodit, fidem mereri videtur; Hispanos primùm terras illas incolis repleviſſe, & proindè jure nunc in iisdem dominari. Obstat etenim oceani interjacentis immensa latitudo. Et sanè minùs credibile videtur; Platonicam Atlantidem, vicinam quondam Africæ & Europæ extitisse, ex eâque in novum porrò orbem incolas transiisse; ut quidem Lipsius censet. *dict. dissert. 19. ad fin.* Mihi potiùs ipse novus orbis, Insula Atlantica est, oblivionis, non aquarum gurgite, ut & suprà num. 10. monui, absorpta.

Et adde B. Augustinum, lib. 1. de mirabilibus Scripturæ cap. 5. & seqq.

15. Omninò ergò, planéque necessarium est, terrâ, vel per angustius aliquod fretum, homines illûc transiisse: & eos insuper, Scythicæ, seu Cymbricæ originis fuisse, rectissimè credo. Filio Noachi Iapheto, dilatationem promisit Iehova, *Genes. 9. vers.* 27 Et hoc est etiam etymon nominis ejusdem. פתח namque ex usu Chaldæo atque Syro (פתא) latus atque amplus fuit, notat. (Quod & placet Chaldæo Paraphrastæ. vid. Drusium, ad loca Genes. cap. 6 & Dn. Buxtorff. *in Lexic. verb.* פתח) Benedictio certè hæc, certissimum habuit eventum. Notum etenim est, totam Europam, Iapheto & posteris ejusdem obvenisse majorem itidé Asiæ partem. Nempè peninsulam illam grandem, quæ ab Issico sinu, Trapezuntem usque pertingit; amplissimos itidem terrarum tractus, à Cappadociâ, & Armeniâ, à Mediâ & Parthiâ item: ab Indo porrò, Scytharum, Sacarum, Serumque provinciis & à Sinis quoque (seu Chinis, ut Lusitani, qui sibilum nequeunt exprimere, pronunciare solent) ad ultimas Orientis metas. Indè sursùm versus, ad ipsum usque Polum: universam, inquam, hancce plagam septentrionalem, cujus maxuma pars Tartaria, sive Magni Cani Imperium hodiè indigitatur, Eoo, Indico que mari terminatum. Quùm ideò Sacæ seu Scythæ, semper multitudine hominum abundârint, solique pariter omnium nationum, frequêtibus migrationibus fuerint assueti, & sanè ex Asiâ in Europam populi ab omni ævo sic influxerunt, ut proximus priorem, perindè atque unda undam protrudere viderentur; ideò & plusquàm probabile profectò est, ab indè etiam Indiam Occidentalem colonos accepisse. Res nimirùm certissima est, gentes universas, ex hâc, quam nos incolimus continente, in quaslibet Orbis terrarum plagas, tanquàm colonias, initio fuisse deductas. Hinc itaque America primùm incolas acceperit necesse erit.

Nicol. Fullerus, Miscellan. Theolog. 2. cap 4. *Vander-Myl.* de Linguâ Belgicâ, cap. 25. & ibi in addit. fol. 245. *Ioseph. Acosta. l. 1. c. 24.*

Atqui

Atquiex omnib tractibus nostræ continentis,aptissimus longè est,Iapheticus iste: sive jam Scythicus,Sarmaticus, Cimbricus, aut Cimmericus; vel quo alio nomine censeatur. Non quippè solùm (ut retuli modò) plenus ille semper fuit innumeris examinibus populorum, qui item robustissimi, audacissimi, & confidentissimi omnium nationum extitêre; quique intrepidi, & animis præsentibus, quodvis periculum subire parati essent: sed & insuper isto idem tractus, quàm minimùm remotus est ab Orbe illo novo. Contrà omnes continentis istius partes, quæ ad Meridiem vergunt,mari undique immenso, ab Indiâ Occidentali submoventur: & populi ipsi timidiores, minusque bellicosi, nec unquàm migrationibus assueti;sed placidâ potiùs quiete, regionum amœnitate, & beatâ rerum quâ fruebantur copiâ, delectati, stabiles, & quasi sedibus suis adfixi mansisse leguntur. Satis ergò nunc apertum esse videtur: Americanos à Iapheticâ terrâ, id est, Septentrionali hocce tractu, in illam longè amplissimam regionem, & verè novum Orbem concessisse: seculisque sequentibus ulteriùs etiam(suâ sponte, vel à finitimis fortioribus pulsos)freto Magellanico superato, in climata Australi polo vicina processisse. Nihil quippè impediebat; quum fretum illud mirè angustum existat:utpotè alicubi unius,& perpaucorum alibi leucarum; ut attestantur,qui id perlustravêre. Et ut planiùs adhûc meam explicem mentem;ex Septentrione Orientaliori,in Americam homines pervenisse puto. Nam etsi commoda satis eò, per Thulen accessio foret; Cimmerica tamen soboles, quia paulatim progrediendo, in Thulen,& alias ei proxumas insulas, seriùs est delata; & citiùs ab hominibus Americam existumem occupatam: non eos exindè hûc concessisse puto. Asia verò,ut cæteras omnes Mundi regiones; sic & Americam, illâ quam monstravi viâ, primis suis hominibus, ut mihi dubium non est, instruxit. Homo primus in Asiâ creatus: è familiâ Noachi, tanquàm seminario,mundus secundus in Asiâ repullulavit. Continens illa maximè vicina Americæ,& ex eâ, brevissima etiam trajectio est: imò, ut Eliud Nicolai In der Relation von Ost: vnd West Indien,multorum testimoniis assertat, nec ullum interiacet mare, meræque fabulæ sunt,quæ de freto Anian, hactenus credita fuerunt. Et certissimum esse, Marcus Welserus Boicar.lib.1.ait; eas regiones, prius cultas fuisse, quæ Armeniæ montibus sunt viciniores; ac etiam aditu faciliores:& item antiquorum profectiones, terrâ & pedibus, non mari & classe susceptas fuisse. Hisque valdè conveniunt ea, quæ commemorat Antonius Galvanus (generosæ stirpis Lusitanus, quique diù apud Moluccenses cum potestate fuit)in quodam, de Inventoribus Novarum terrarum libello: Chinenses

nenſes nempè (quos ille Tabencos vocat) vehementer affirmare, ſeſe omnium primos, in longinquas Orbis regiones navibus trajeciſſe, & maxumæ inſuper Scythiæ parti, olim fuiſſe dominatos. Inſuper, à Chinenſibus hiſce Tartaris, aut Orientalibus Scythis, repertam, & incolis repletam fuiſſe regionem Americanam; ex eo quoque prorsùs credibile videri ait: quòd ejuſdem nationes, & moribus, vivendique ratione, & corporis quoque totius filo (oculis videlicet parvis, naribus ſimis, & adhûc proprietatibus alijs) perſimiles Chinenſibus exiſtant. Probabilem adhuc ampliùs reddit conjecturam meam; quòd interiora & mediterranea Indiæ occidentalis magis, quam maris littora exculta fuerunt: quia ſcilicèt illa terreſtri tranſitui ex China viciniora. Ita enim Hiſpani, qui primo appulſu in luſtra & mapalia, humilesque inciderant caſas; ubi penitius ſunt ingreſſi, florentiſſimas, populoſiſſimasque civitates invenerunt, & alia adhuc plura, quæ quicquid Antiquitas noſtra jactavit, aut mirata eſt, longo intervallo ſuperare dicuntur. Vid. Philipp. Mornæum, *de veritate Religionis Chriſtianæ, cap. 8. fol. mihi 133. &c. & ſupra memum.* 18.

16. Quin & linguam Americanam, neſcio quid Cimbricum, ſeu priſcum Teutonicum reſonare, ſunt qui dicere auſint. Vox *Papa*, nobis Europæis communis eſt cum Americanis. Iidem Idola, Deosque ſuos, *Pagodi* vocant. Becanus ſanè diceret, ſic eos dici, ex Cymbricâ originatione, quaſi reconciliabiles Deos; *Pay* namque reconciliatio eſt, *God* Deus. Eſtque Papa vox generalis pro Patre. Bignonius *in notis ad veteres formulas. Guairas* ipſis flabella dicuntur: Cimbri Waeiers (Wäyer) eadem vocant. *Topos* tegmen capitis illis eſt; à *Top* quod verticem ſonat: adderet certè Becanus & *Hos*; quod tegmen eſt femoris aut cruris. *Lama* ipſis ovis eſt; nobis etiam Lamb agnus. Et qui ex illo redeunt orbe, alia ſimilia obſervâſſe dicuntur. Ac adfirmat Bibliander, Poſtellique teſtimonio firmat, Punicas non ſolùm voces quamplurimas Americanæ admixtas dialecto; ſed & Latinas: ut *Homo, hape, ibbo*; quod eſt, homo, habe vel cape, ito. Inveniri & Græcas; ut *Chulcas*, quod ὁλκάδα ſonat, hoc eſt, onerariam navem: cui & Belgicum Hulc, eâdem congruit ſignificatione.

Vander-Mylius d. ca. 25 à princ. & ad fin. *Geſner* in Mithridat. cap. 3. *Addi poteſt, de Linguâ Indorum Occidental. Claude Duret.* de l'hiſtoir. des Langues. cap. 78. & ſeqq. præſertim fol. 934 &c. 954. &c. *ubi quoque alia ad hanc noſtram diſſertationem ſpectantia, lectione digniſſima inveniuntur.*

17. Nunc tandem, ſi per continentem, aut fretum aliquod anguſtum, ex mundo veteri, in novum illum homines pervenerunt; omnis diſputatio removetur, quæ eſſe poteſt de tranſitu beſtiarum. Nec impedit, quòd alia ibi animalia, feræque beſtiæ, ac in Orbe noſtro. Cuique etenim regioni, pro cœlo, atque etiam ſolo, ſua quædam animantia, jam ab initio aſſignavit Deus. Sic & parilis ferè in Africâ, & Aſiâ extremâ di-

Acoſta, lib. 1. c. 21. *Lipſius*, ſæpe dict. diſſert. 19. fol. 125.

mà diversitas est: non Leones, non Tigres, non Elephantes, Europa nostra gignit, aut alit. Quin & pisces in mari variantis sunt naturæ, qui hîc, vel alibi capiuntur: ut quoque aves.

DE CHRISTOPHORI BESOLDI, ICTI ORBE NOVO,

Carmen Respons:

MELIORIS SCIPIONIS, ECCLESIÆ VAIHINGENSIS Pastoris, & vicinarum Superintendentis.

S. Quô puerum hunc CHRISTVM tanto molimine portas,
Ista per horrendi flumina magna Maris?
Formosum hunc puerum vis per Mare ferre profundum
CHRISTOFERUS *verè* Maximus *alter eris.*
Magnum opus aggrederis, multâ Virtute parandam
Laudem oneris tanti, difficilisque viæ.
Quicquid ages tandem, sunt omnia plena periclis,
Tellus non gravius pondus onusvè tulit.
Heîc opus, æsculeo vestigia robore firmes,
Signa viæ & monstret lampade certa Senex.
B. Non Onus hoc reputo, non hæc discrimina Ponti
Horreo, non sævi murmura dira maris,
Ferre per Ignotos populos Athlantis ad oras,
Perq; Poli oppositi (quotquot ubiq;) locos.
Ferre per Oceanum, maria omnia, & undique pontum,
Hunc CHRISTVM: *hæc nostri meta laboris erit.*
„ Insula si qua jacet terris incognita nostris,
„ *Lustranda huic puero est*: Tunc novus Orbis erit.
Non moror ingrati Stipendia lubrica Mundi,
Non suffragantis plebis alumnus ero.
Respectans humeris puer hic respondit ab illis;
Non Onus hoc grave sit, sed labor iste levis:
Sum Protector ego tuus, & tua maxima merces,
Sum Clypeus tuus, & pars tua magna nimis!
S. Non ego te miror veteres dixisse BESOLDVM;
Si Puer hic tua pars; Crede BESOLDUS eris.

Ergò

Ergò age sic verè semper dicêre BESOLDUS;
Per mare qui CHRISTVM *ferre paratus eras.*
Perge bonis Ventis, puer immersabilis undis
Fertur; & in medio flumine tutus eris.

CAP. V.

De Pacificâ, seu Voluntariâ Imperij Amplificatione.

AMplificatio ab externo quæ fit; vel est voluntaria, vel violenta. Ad illam spontaneam refero exterorum oblationem: quâ Cyri Regnũ crevit; Xenophon 1. *pæd.* quâ Imperium auctum est Romanorum: cùm plures existimarent, melius se sub eorum potestate vivere posse, quã in suâ libertate. Livius, *lib.* 4. Et ita Capuani; licet propter civitatis nobilitatem, propter agri fertilitatem, primum pòst Romanos locum in Italiâ obtinerent: Romanorum tamen amicitiam & auxilium adversus Samnites, cùm impetrare nequirent, iisdem se dediderunt. Livius *lib.* 7. apud quem Princeps legationis: Quandoquidem, inquit, nostra tueri adversus vim atque iniuriam iustâ vi non vultis, vestra certè defendetis. Itaque populum Campanum, urbemque Capuam, agros, delubra Deûm, Divina, humanaque omnia, in vestram, Patres conscripti, populique Romani ditionem dedimus; quicquid deindè patiemur, dedititij vestri passuri. Romani etiam civitati suæ plurimas Civitates socias adiunxerunt, sibi tamen Imperium & potestatem reservantes. vid. Machiavell. 2. *Discurs.* 4.

II. Nonnullis quidem, Emptio alicuius territorij minus generosus augendæ Reipublicæ videtur modus. Ita enim scribit Machiavellus *2. discurs. cap.* 30. Nunquam cernes eam Rempublicam, aut pacem ab hostibus, aut agrum, vrbemque aliquam pecuniâ comparâsse: omnia armis atque virtute paraverunt. Et paulò pòst, Longum est recensere, quot oppida, cùm Florentini, tùm Veneti, pecuniâ emerint. Sed ijdem postea viderunt, quàm ineptè à se factum sit; cum cernerent, quæ auro comparata essent, ferro conservari non posse. Et nihilominus apud Iohannem Stumpffium, *lib.* 6. der Schweitzer Chronic, *cap.* 10. iure gloriatur Respublica Tigurina; quòd plus quàm Ducatum possideat, & ferè nil non, nisi iusto titulo emptionis. Die Statt Zürch hat ein Fürstenthumb in jhrer beherrschung / vnd das alles ehrlich an sich gebracht / durch Kauff oder Pfandtschafft. Talia namque illæsa conscientia possidentur

fidentur, ad quod sanè parum respicere videtur Machiavellus. Notæ etiam sunt laudatissimi Ducatus Wurttembergici incrementa, per hunc modum: ut passim Dominus Martinus Crusius, Præceptor meus, in Annalibus suis deducit. Incluta etiam Ulma, sic crevit; quod notat Felix Fabri, Monachus Ulmensis, *lib. 2. histor. Suevor. cap. 4.* Sicque ea adquisivit Castrum Helffastein, cum oppido Gislingen, & universum Dominium illud in latum & in longum, cum villis, castris, prædiis, possessionibus, & omnibus teloneis: pro quibus omnibus ingentem auri thesaurum, Comitibus illius ditionis dederunt. In hâc emptione (ut prædictus Fabri refert) practicâ invidorum, trinâ vice, de manibus Ulmensiũ fuit Comitatus ille raptus, & semper restitutus cum vacillatione quadam, quousque contractus fuit per Papam & Ecclesiam, perque Imperatorem & Electores, ac patriæ Nobiles adprobatus, sigillisque omniũ roboratus. Nobilis item Comitatus Albegg, cum Castro & oppido, omnibusque adtinentijs, Iudæis, à Comitibus de Werdenberg oppignoratus fuit: ex eorumque manibus illum Ulmenses redemerunt. Additque idem Fabri, post emptionem Helfastein, Comitissam, quæ Regina Hungariæ erat, in omni locutione, quandò mentionem de Ulmẽsibus faciebat, adpellâsse Ulmenses filios suos; & dum interrogaretur, quare ita loqueretur, dixisse; quia ipsi virum meum & me hereditabũt. Et invehit item in sui temporis Ulmenses, quòd non emerint, Comitatũ Kirchberg/ Castrum Ellerbach/ Dominium Hochberg, & Marchionatũ Burgaw. &c. Sed laude planè digniſſimi sunt, qui operam magis dant, ut vicini non cogantur vendere sua bona. Exemplum memorabile huius rei Stephanus Pasquier habet, *lib. 5. des recherch. cap. 9. §. or à la suite.*

III. Hûc pariter refero Unionem: quandò nempè ex pluribus oppidis exilioribus una magna constituitur Civitas; (cuius rei exempla cõmoda recensẽt Bodinus, *lib. 4. de Repub. cap. 1. num. 389.*) vel quandò Respublicæ & Regna aliquot, in unum Imperium concrescunt. Bartholomæus Musculus, *tract. de succeſſ. anomal. part. 2. §. 1. num. 17. fol. 7.* Quemadmodum etiam Castra, Iurisdictiones, Feuda, &c. uniri dicuntur. Wesenbec. *consil. 1. num. 52. & consil. 4. num. 105.* Hancque speciẽ Unionis, propriè, & satis bonâ Latinitate, Incorporationem Pragmatici vocant. *arg. l. 3. C. de bon. vacant. & incorporat.* secus ac putavit Duaren. *lib. 5. de benefic. 6.* Et regulariter per Unionem, haut absorbentur privilegia unitarum provinciarum. Erasm. à Chokier *tract. de Iurisd. ordinar. in exemptos, part. 3. quæst. 22.* Sic etiam plebs, seu villa, si fuerit alteri unita, ac illa cui facta unio est, debitis fuerit gravata; creditores agere non possunt contra bona villæ haut obligatæ. Post Innocentium,

Alphons-

Alphons. Moditius, *in §. plebiſcitum, quæſt.* 162. Nec item ſervanda ſunt Statuta villæ dominantis : niſi compatibilia exiſtant. Poſt Baldum & Felinum, idem Moditius *ibid. & quæſt. ſeq.* Exempla varia huiusce Vnionis, ubivis occurrunt. Sic enim crevit Imperium Romanum; hoſtibus veniam dando, & eosdem in Civitatem accipiendo. Caſparus Facius, *polit. Liviana, part. 1. arte.* 15. Sicque Regnum Romanum & Sabinum Romulus conſociavit: ſed tamen hâc arte rem temperavit; ut curârit omne Ius Imperij Romam conferri, ubi ipſe primas obtinebat. Facius, *arte.* 16. Hoc item fine Rex Hoſtilius Albam urbem, quamvis parentem Romæ, æmulam tamen, diruit; cùm prius omnes opes urbis, ipſumque populum Romæ transtuliſſet: prorſus ut conſanguinea Civitas non periiſſe, ſed in ſuum corpus rediiſſe rurſus videretur. Quod ſi commodè non poſſint dirui urbes, reſpiciendum erit ad conſilium Arati; quo volebat Vrbes ſingulatim imbecilles mutuò ſervari, tanquam commodo publico illigatas. Facius *ibid. arte.* 30. Quod Belgæ uniti obſervant. Rectè de Romulo Rutilianus.

Dumque adfers victis proprii conſortia iuris,
Vrbem feciſti, quod priùs orbis erat.

Vndè Roma communis patria fuit, Civitatibus in participatum Reipublicæ adſcitis. Romanique tantum arte valuerunt; ut populos pleroſque eodem die hoſtes, habuerint & cives. Ergò ut Vergilij uſurpem verba:

——Paribus ſe Legibus ambæ
Invicta gentes æterna in fœdera mittant.
——Si Iupiter unam
Eſſe velit Tyrijs urbem, Troiaque profectis,
Miſcerive probet populos aut fœdera iungi.

At verò nil aliud exitio Lacedæmoniis, & Athenienſibus fuit, quanquam armis pollebant; niſi quòd victos pro alienigenis arcebant. Totoque cœlo erravit Amilcar Carthaginenſium Dux; qui hoſtes captivos alios occîdit, alios vivos beſtiis obiecit: unam tantùm belli diſſolutionem credens, ſi aliquandò hoſtes radicitus evertere poſſet. Vide Facium, *dict. tract. part. 2. cap.* 8. Sed ad recentiora accedam exempla. Lithuania cum Poloniâ unita fuit olim. Cùm enim Iagello, magnus Lithuaniæ Dux, circa Annum 1386. Hedvigi, filiâ Ludovici Hungariæ & Poloniæ Regis, in vxorem ductâ, Sacro Baptiſmate tinctus, Vladislai nomen unaque Regnum Poloniæ, Baronum Regni conſenſu accepit. Prætereaque ſecum fratres quatuor, & gentem Lithuanam, confractis eius Idolis, lucisque immenſis, & exemplo ſuo, & tunicarum in concurſantem pannoſam plebem largitione, ad fidem Chriſti convertit:

tit: ac insuper Ducatum suum Lithuaniæ, Samogitiæ, & Kioviæ, cum Alexandro Vitouudo, aliisque fratribus suis, Regno Poloniæ incorporavit, & perpetuò univit. Diplomata & conditiones huius Unionis, Iacobus Prilusius habet; *in tract. de Provinciis Polonicis, & extat tom. 1. corporis Historiæ Polonicæ, fol. mihi* 71. Qui idem auctor, *dict. tom. 1. fol.* 179. de varijs Ducatibus, cum Poloniâ unitis, vel uniendis, pluribus agit, adde Statuta Poloniæ verbo Unio. Sicque eidem Regno, Anno Christi 1561. Livonia accessit; cum gravi ac diuturno bello, mutisque cladibus à Moscovitis afflicta, vastata, & magnâ ex parte in potestatem eorundem redacta esset, seque à servitute & crudelitate hostili diutius tueri non posset: atque ita Ordo Militum Teutonicorum in Livoniâ, cùm floruisset Annos 357. abrogatus fuit. Bucholcer, *in Indice Chronologico.* Pariter paucos antè annos, reliqua Regni Navarreni, (le Pais de Bearn) cum Franco-Galliâ, unita fuerunt: Anno nempè 1607. curante Henrico IV. adeò ut in posterum nequeant divelli; indeque porrò Navarricorum Officialium nomina & munia sublata fuerunt. Rodolphus Botereius, *Commentar. lib. 14. fol. mihi. 353. &c.* Sed verò etiá sub Anno Christi 1616. & Anno sequenti controversia mota fuit huic cõiunctioni, ac nempè Galli prætendebant, Regni Gallicani successorem sibi quasi desponsare Principatum matrimonio civili: dotisque habere rationem, si quæ territoria habeat prius. Regerebant Bearnenses, verum id esse, de ditionibus ijs, quæ Regni superioritati subsunt, Bearni autem Principatum absolutum esse: confundique & aboleri per hancce Vnionem Privilegia & Iura sua, nec sine Statuum convocatione talem innovationem, utpotè quæ ad legem fundamentalem spectet, fieri potuisse. Vide *l. 4. tom. d. Mercure Fransois, sub Anno* 1616. *fol. mihi* 218. *& seqq. multis, & tom. 5. sub Anno* 1617. *fol. mihi* 233. Regnum similiter Sueciæ & Scaniæ, ita indissolubiliter unita sunt, atque coniuncta; ut unum de cætero Regnum debeant censeri, uniusque Regis præsidio gubernari. Exegesis Historica Depositionis Sigismundi III. Poloniæ Regis, *fol.* 7. Ducatus etiam Wurttenbergicus, aliquot Principatibus, Comitatibus, Baronatibus, alijsque territorijs minutis quàm pluribus cõstans; à Maximiliano I. Imperatore in unam indissolubilemque provinciam (semper ad Primogenitum quæ debeat pervenire) redacta, Ducatusque titulo splendido condecorata fuit. Cùm tamen nihilominus tam Statuta, quàm Privilegia, aliaque Iura, ponderum item ac mensurarum gnomon disparilis ubique esset; & hâc in parte Christophorus, pro prudentiâ, quâ pollebat singulari, omnibus hisce æquissimam dedit æqualitatem. Scotiam item & Angliam, superioribus Annis, Iacobus utriusque Regni heres univit; magnæque Britanniæ Regem, se primus

primus insignivit. Et hinc Symbolum illud Regis, aureis eius inscriptum, sed à paucis intellectum: *Henricus Rosas, Regna Iacobus.* Henricum scilicèt intelligit illum, qui duarum Regiarum familiarum in Angliâ, perpetuis odijs inter sede Regno contendentium, Yorchicæ nempè, & Lancastricæ Iura unita, per matrimonium ad posteros suos propagavit: quarum una Rubram, altera Candidam Rosam, pro Insignibus Gentilitijs habebat; hâcque ratione, securitatem ac tranquillitatem Regni sui procuravit. Nicolaus Betsius, *de pact. illustr. famil. cap. 8. fol. 327. & seq.* OVVenus, *epigram. lib. 3. num. 39.* qui idem, *num. 38.* hâc de Unione ita canit.

Legibus inter se varij, quâ Lege coibunt?
Iungat eos Regni (Lex ea Summa) Salus.

Sed nec hæcce Unio caruit difficultate, quas Ordine, & ex Ordinum monitione, recensetPier. Matthieu, *histoir. d. France, lib. 7. narrat. 1. num. 13. fol. mihi 652. & seqq.* Sed pro hâc Vnione prolixè dissertavit ipse Rex Iacobus, in Conventu Ordinum Anno Christi *1603. quæ est in operibus Regijs, orat. 1.* & Albericus Gentilis, *orat. singular. de Vnione Regnorum Britanniæ*, idemque Rex Iacobus, *in Basilico doro, libr. 3. fol. mihi 134. & seq.* quæ in Vnione sient observanda, monet.

IV. Sed & quædam contra Vnionem Provinciarum & Regnorum disputari possunt. Sicque in Belgio, ubi Vnionem voluisse dicitur Hispanus, hoc impedijt illam, quòd subditi Vnionem noluerunt: qui & noluisse potuerunt per placita conventionum. Noluerunt autem Belgæ Vnionem, & cum Vnione Regem: quia quantum crescebant honore illo nominis Regij; tantum sibi videbantur decrescere libertate. Et verè, quantum crescebant ab unitione, tantum decidebant, & eò amplius multò à Privilegijs plurimis, quæ vita sunt earum provinciarum; dicente Alberico Gentili, *dict. orat. fol 52.* Ac sanè interdum non unitur vel incorporatur; verùm devoratur vel supprimitur, per talem Vnionem Regnum parvum à magno. Boccalini, *cent. 2. d. Parnasso. ragg. 14. fol. mihi 93.* Hocque intuitu Lusitani, coniunctionem Regni sui, cum Castellano ægrè tulerunt, nec adhuc hodiè æquo animo ferunt. Ita putant Arragonenses, sibi nocuisse, quod fuerint Castiliæ iuncti: Boccalini 2, *di Parnasso, ragg. 14. fol. mihi 92. & seq.* Sic pariter Norvvegiæ Regni, cũ Danico conjunctionem, haut illi Regno prodesse dicunt. Ianus Minor *in retorsione Impostur arum Petri Parvi, cap. 14. fol. 113.* Et ita Boterus: Norvvegiæ populi fuerunt olim valdè potentes. Angliam diu afflixerunt, Franciam divexarunt, cuius pars insignis ab ijsdem accepit denominationem, & Nortmannia vocatur. Et idem paulò pòst: Regnum Norvvegiæ turbis exagitatum pervenit ad Danos, qui ut de illo sint

securi,

ſecuri, incolas durè tractant, eosque facultatibus ſpoliant, nec miſeris hominibus, ſpes eſt melioris fortunæ. Iacobus item Zieglerus in Schonlandiâ ſuâ: Norvvegia hoc tempore eſt ſub poteſtate Danorum. Hi non legitimos modò reditus, & vectigalia tolerabilia imperãt: ſed omnia cõmoda corradentes, in Daniam transportant; Imperij diuturnitatem in Subjectorum infirmitate conſtituentes. Hæc Norvvegiæ eſt fortuna: neque ipſa ædificia urbium, ſuam amplitudinem, & veterem dignitatem tueri poſſunt; nec ſpes eſt ſtatus reparandi. Publici enim conventus in rem non admittuntur; nemo ex arbitrio ſuo referre audet, aut opere tentare, incertus de omnium voluntate. Sic itidem quondam Roma, Cannenſi clade perculſa, Principes Latinorum in Ordinem Senatorium voluit adoptare: ut nempè animi ſociorum, ad Imperium Romanum tuendum conſtantiores eſſent: ſed hoc impedivit magnanimitas Manlij Torquati, qui clarâ voce denunciavit: Si quis ſociorum inter Patres Cõſcriptos ſententiam dicere auſus eſſet, continuòſe eum interempturum. Valer. Maxim. *lib. 6. cap. 4. exempl. 1. vbi tamen vide* Stephani Pighij *adnotat.* Et ſanè ſi Roma cum Italiâ fuiſſet iuncta, hoc nomen Romanum extinxiſſet. Diu item noluit Nortmannia, reliquæ Galliæ iungi. Cominæ. *lib. 1. cap. 13. fol. mihi 83.* Nec prodeſt Imperatori vel Regi, alterive ſuperiori, ſi eius Vaſalli vel Optimates, nimis magnas habeant ditiones, aut eas poſſideant regiones, quæ ſunt abſoluti Iuris. Ita prudenter Clemens IV. cum inveſtiret Carolum I. de Regno Neapolitano, has conditiones adiecit; ne Lombardiam, Tuſciam, aut Regnum Imperiumve Romanum, coniungeret cum illo: hocque cum feciſſet Carolus V. Bullâ ſollemni in Comitijs Francofurti, de Iure ſuo, priorique cõtractu, proteſtatus eſt Leo X. Pontifex Maximus. Sic cùm Henricus II. Rex Anglorum, dimidiam ferè Galliarum partem, partim ſucceſſione, partim matrimonialibus pactis obtinuiſſet, nec porrò ipſe, nec ſucceſſores eius, Regibus Gallorum, debita ſervitia ſatis ſubmiſsè exhibuerunt. Alia Exempla habet Henningus Arniſæus, *relect. politic. lib. 2. cap. 2. fol. 247.* Et porrò aliud Vnio, aliud deditio eſt. Quamvis namque in dedititios, mitiùs ſemper conſuli videatur, quàm in bello captos; Michael Piccart. *decad. 10. cap. 9.* attamen deditiij in provinciæ redigũtur formam; aliudque eſt Regnum unitum: aliud, Regnum provincias habens. Sicque Philippus II. Rex Hiſpaniarum, qui primùm Luſitanis, æquiſſima obtulit capitula Vnionis. *Coneſtag. lib. 4. fol. mihi 226. &c. ac item lib. 8. fol. mihi 405. & ſeq.* Sed tamen poſt plenariam Luſitaniæ ſubiugationem, cumque nullæ ampliùs belli reliquiæ ſupereſſent; Regnum illud ferè in provinciæ formam redactum, ab ipſo Rege, Madridi Aulæ ſedem habente, gubernatum fuit. Coneſtag. *lib. 10. fol. 494.* Tandemque

demque addo, non territoria solùm, sed & fataliter, hoc est, singulari providentiâ divinâ familias Principum interdum divelli, seu uniri, interdum coire rursus: ut observat & exemplis illustrat Richterus, *axiom. historic. 73.*

CAP. VI. ET ULTIMUM.

De Extensione Territorij Violentâ: ac quomodo novum Regnum conservetur atque firmetur. Vbi plura de Coloniis, Castellis &c.

AMplificatio Reipublicæ, seu Territorij extensio coacta, Iure Belli fit: deditione nempè, vel expugnatione. Ius autem deditionis est; ut populus cum urbe, agro, aquâ, terminis, delubris, rebusque omnibus, in potestatem & ditionem veniat victoris: quemadmodum Formula deditionis apud Livium, *lib. 28.* ostendit, & pluribus Radulphus Fornerius illustrat. *rer quotid. lib. 4. cap 24.* Nos vulgò vocamus, Auff Gnad vnd Vngnad sich ergeben. Interdum etiam fit deditio cum pacto, quo sibi qui se dedunt, certi aliquid reservant. Deditionis autem memorabilia exempla recensèt plura Piccartus, *dict. decad. 10. cap. 9.* Et memorabilis inprimis est illa Mediolani: cuius Cives cùm multis modis, & sæpiùs Fridericum Barbarossam irritâssent, Augustam etiam infando dehonestamenti genere violâssent, extremâ & supplici deditione, jugum quod toties excussèrant, ultrò subiêre. Historiam Dubravius describit, *histor. Bohem. lib. 12.* & elegantissimis hisce versibus Guntherus.

Quas postquàm leges & spe leviora rebellis
Iamdudum populus gratanter pacta recepit;
Continuò totis effusi mœnibus omnes
Procedunt: primusque suo cum Præside Clerus
Veste sacrâ nitidus, nudo pede, supplice vultu,
Vertice dimisso, nostræ monimenta salutis
Signa Crucis præfert. Pòst hinc in vellere pullo
Infausti cives, vestigia nuda prementes,
Indicium que sui pariter, pœnamque reatus

Admotos nudis portant cervicibus enses.
Et primi illorum prostrati corpore toto
Cæsaris ante pedes, trepidis confusa querelis
Pauca gemunt, veniamque suis excessibus orant.
Hoc tantùm, veniamque sonant, veniamque loquuntur.

II. Veruntamen pactum deditionis, etsi vi & metu fuerit factum; non minùs tamen quàm voluntarium est servandum: ut contra Bartolum, aliosque magni nominis Interpretes disputat Bodinus, *lib. 5. de Republ. cap. 6. num. 594.* Sanè non hîc agitur ex Edicto Prætoris: sed ex Gentium Iure. In causis privatorum, contra bonos mores & Civilem societatem est si privatus privatum cogat: verùm ut dolus, sic vis vel metus, iustus est ferè in publicis causis: isque ex Iure Gentium prodest, nec prohibitus reputatur. Hocque in nostro casu, coacta Voluntas, secundum quid, pro liberâ habetur: quia hoc se modo dedere malunt, quàm extrema exspectare. Et quis est qui nesciat, pacis conditiones, ferè semper invitis dari, & à victis vi atque metu accipi; ut quod dici solet, Minima de malis? Nemo tamen, aut Princeps, aut legislator extitit unquàm, qui quod victori promisisset exequi recusaret, quasi vi coactus id fecisset. Sed tamen & deditio, suam habere debet æquitatem: ut monui, *lib. 2. politic. num. 36. versic. 2.* Res verò expugnatæ, Martis juri absolutè cedunt: indeque iustissimæ fiunt, rerum bello iusto adquisitarum possessiones: quæ neque repeti unquàm ex eâdem causâ possunt. Dionys. Halicarnas. *lib. 3. antiquitat. Romanar.* Ideoque quod iusto adquiritur bello, iniustè repetitur.

III. Nuper partum Regnum tueri quàm acquirere, multò difficilius est. Ioh. d. Marnix, *lib. 4. resolut. 4.* Dubiumque nullum videtur; quin minoris industriæ, & laboris sit, acquirere Regnum, quàm partũ iam in suo statu conservare. Richter. *axiom. historic. 216.* Etenim exiguæ sæpè vires, vbi hostes incautos & imprudentes nactæ sunt, etiam prævalida Imperia circumvenire possunt. Sicque Alexandri Magni Principatus, penè defluxit priùs, quàm ab eo fuerit partus. Et nobilis est de Pyrrho Rege fama, semper illum parandis, quàm retinendis Regnis extitisse meliorem. Indeque apud Traianum Boccalini, *cent. 1. ragg. 35. fol. mihi 149. & seq.* non ad Parnassi felicitatem admissus fuit Tamerlanes: eò quòd nova fuerit molitus, nisi prioribus firmatis; quodque longis itineribus percursârit, quæ nequibat obtinere. Et sane Imperium novum, nec benè constitutum, prudentérve gubernatum; ei qui id acquirit, grave potiùs est, quàm ut potentiorem eundem reddat. Francisc.

ciſc. Guicciardin. *hiſtor. lib. 4.* Verùm ſubtilis eſt Diſputatio, de ratione adminiſtrandi Regnum novum. Suntque & hîc, arcana & flagitia dominationis in uſu : ut ego iam monui, *lib. 2. politic. cap. 5. num.* 12. Ac ſi quis Princeps, occupet aliquam urbem aut regionem ; ei Reipublicæ formam planè novam inſtituendam eſſe, tradit Nicolaus Machiavellus, *i. commentar. cap. 26.* Sicut ipſe Princeps novus eſt, ita in ſuo Principatu omnia innovet : novos Magiſtratus , novis nominibus inſignitos creet, ad eosque eligat homines novos; bona hominum opulentorum, pauperibus diſtribuat, eoſque ditet. Eidem huic , ut dicto loco cenſet Machiavellus, novæ urbes condendæ, antiquæ diruendæ, habitatores de uno loco in alium transportandi, adeoque ita omnia transferenda erunt; ut neque opes, neque honores, quisquam in eâ provinciâ poſſideat, qui non cogatur confiteri, ſe illa ab ipſo Principe novo obtinere. Crudelem eſſe hancce dominandi rationem, fatetur ipſe Machiavellus ; & non modò Chriſtianæ, ſed humanæ quoque vitæ adverſam: quam ob rē ab omnibus fugiendam, ac longè magis præferendam privatam vitam, quàm ut cum tanto hominum diſpendio atque calamitate regnare velit. Non tamen aliâ ratione Imperium conſervari poſſe. Aemulam alicuius Imperio urbem, ubi capta eſt, dirui rectiùs, quàm ut ſuperſtes relinquatur, placet Richtero *axiom. hiſtor.* 123. Ac ita Romani, Albam æmulā Imperij ſui, funditus diruendam cenſuerunt. Libertatem qui quadam ex parte minuunt, acriùs ſtimulant , quàm qui adimunt prorſus. Haut quippè ſperandum eſt, in obſequio populum retineri poſſe ; aut qui ſemper anteà liber fuit, niſi exarmatâ civitate, Richter. *axiom. Oeconom.* 174. Hincque (referente Livio, *lib.* 8.) Romanis vetuſtus mos fuit, cum quo nec fœdere, nec æquis legibus amicitiâ jungerentur, nō priùs Imperio in eum , tanquàm pacatum uti, quàm omnia Divina, humanaque dedidiſſet, obſides accepti, arma adempta, præſidia urbibus impoſita forent. Ita Guilielmus Nortmanniæ Dux, Angliæ conqueſtor, commilitonibus terras Anglorum, poſſeſſionesque affluentiori contulit manu; illudque parvum quod remanſerat, ſub iugo poſuit perpetuæ ſervitutis. Ex quo circa Nortmannorum adventum, præter ipſum Regem, nō fuit in Anglia is, qui allodij ut loquuntur iure , poſſederit fundum. Minimè etiam apud Scriptores rarum eſt, illum quaſi puram putam novam undiquaque Legum induxiſſe faciem comminiſci: & ſanxit etiam non paucas. Anglorum item is idioma in tantum abhorrebat, quòd Leges terræ, Statutaque Anglicorum Regum, Gallicâ Linguâ tractarentur, forenſia item negocia Gallicè diſceptarentur. Ianus Selden, *lib. 2. Iani Anglorum, per Diſcurs. & præſertim fol.* 68. *ac* 71. Hoc idem Dani antè, in eâdem Angliâ fecerunt; & in Suecîâ cum facere vellent, conjunctio-

nem Danici & Suecici Imperij impediverunt. jugum enim tale imponi sibi noluerunt Sueci, non planè debellati. Olaus Magnus, *histor. Septentrion. lib. 8. cap. 38.* At in Regno servituti assueto, ita commodè conservatur Imperium nuper partum; si maiorem sibi concilient favorem occupatores, quàm veteres Domini habuerunt. Nec ullum mel, saccharumve ullum tàm dulce est ori puerorum; quàm auribus Domini Gruteri allubescit Theodorici apophtegma: Aliorum fortè Regum præ lia, captarum Civitatum aut prædas adpetunt, aut ruinas: nobis propositum est, Deo juvante, sic vincere, ut subiecti se doleant nostrum dominium tardiùs acquisivisse, *vid part. 2. Discurs. ad Tacit. fol. 64.* Non corpora solùm, sed & animi devictorum, in nostram potestatem sunt redigendi: *at, No he visto con arrogancia conquistar los coraçones;* non arrogantia animos aliorum capit, Ey çaguirre, *d. conceptos morales, num. 558.* quod tamen benevolentia & humanitas facit. Novum Imperium inchoantibus, utilis est clementiæ fama. Tacit. *histor.* 4. Et Lucanus, *lib. 8.*

——— *Mitissima sors est,*
Regnorum sub Rege novo.

Utque novi populi novis assuescant, & nostrum jugum patiantur, oneribus, & tributis sunt levandi. Tacit. *Annal. lib. 2.* ego Aerar. *cap. 4. n. 12. vers. 3.* Hocque secutus consilium fuit Cyrus; qui immunitatis & à servitute liberationis spe, contra Medos Persas concitavit. Iustin. *lib. 1.* Et Alexander iniens Regnum, immunitatem cunctarum rerum, præter militiæ vacationem dedit. Curt. *lib. 2.* Addatur Marnix, *lib. 4. resol. 4.* qui idem *resolut. seq.* tradit, novum Principem, in novo Principatu, nil magis, quàm innovationem vitare debere. Et huius etiam sensus esse debent ij, qui novo Principatui ut gubernatores loco præficiuntur, quod monet Cominæus, *lib. 5. cap. 1. fol. mihi 364.* Idque capio de eo, qui iure successionis ad Regnum succedit, vel qui Regnum à veteri Domino servitute pressum acquirit. Artem autem noviter acquisitum Imperium conservandi ignorans, Eduardus I. Angliæ Rex, quinque vicibus Scotiam totam devicit, totidemque perdidit. Froissart *lib. 1. cap. 27.* Galli item idonei non censentur ad provincias, bello quæ partæ fuerunt, conservandas. Dn. D. Lansius, *in Oratione contra Galliam, fol. mihi 283.* Idque Sicilia utraque, Brabantia, & loca adhûc alia fecêre testatum. Carolus præsertim VIII. facili operâ, Regnum Neapolitanum acquisivit, & ab initio Galli grati omnibus erant; sed avaritiâ & libidine, mox odio omnium sese exposuerunt, & omnia quæ acquisiverant ibi, amiserunt. Cominæus, *lib. 7. cap. 6. fol. mihi 633. & seqq.* Et in quo peccaverit item Carolus VIII. Rex Galliarum, post Regnum Neapolitanum occupatum;

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 4, [54] - 54

tum; idem Cominæus, pluribus deducit, *dict. lib. 7. cap. 14. & lib. 8. cap. 13. fol. 673. & fol. 800.* contemptus nempè hostis, & alia, quæ ibi legi possunt; ac ferè defectus eos omnes incurrerunt, qui nuper non diu Bohemiæ Regnum usurpârunt. Addatur Machiavelli Princeps: *ca. 3.* qui eosdem Gallorum errores describit: & inter alia ità inquit: Imperia cùm comparantur in provinciâ, quæ linguâ, moribus institutis discrepat; præcipuum illud & vividioris remedij est, ut is qui ea est adeptus, suâ præsentiâ, & domicilio fulciat. Quemadmodum Turca in Græciâ censuit faciundum; qui omnibus legibus ad illud Imperium retinendum servatis; non potuisset tamen illud conservare, nisi eò commigrandum, atque ibi habitandum constituisset. Et pòst idem: Animadvertendum est, homines aut blanditijs deliniendos esse, aut prorsùs extinguendos.

IV. Ex populi Incremento, ac eius otiosâ ac inquietâ turbâ *Coloniæ* deducuntur, optimèque acquisitæ firmantur: & in eo concurrit externũ incrementũ cum interno, unumque alteri suffragatur. Necessariũ enim est, ut in unum aut alterum locum adeptæ ditionis, veluti claves Coloniæ mittantur; vel ut multùm tùm Equitum, tùm peditum ibi alatur. At verò in Colonijs non multùm impendit Princeps, & nullo aut exiguo eos sumptu deducit, ac retinet: eos autem duntaxat offendit, à quibus agros aufert & domos, novis Colonis assignandas, quique ad totius ditionis rationem, minima pars cùm censeantur, etiam dispersi & rerum egentes dimissi, nocere haut possunt. Machiavellus in *Principe, dict. cap. 3.* qui idem *histor. Florent. lib. 2. à principio.* Inter magnas & admirandas rationes, priscarum illarum Rerumpublicarum, & Imperiorum conservandorum, quæ hoc seculo interierunt; non immeritò nominatur studium, quod in exstruendis novis Civitatibus atque Colonijs frequenti in usu fuit: & quæ ibi eam in rem plura habentur. Lipsius, *lib. 2. de Constantiâ, cap. 28.* Colonijs nil ad vim Imperij firmius; nil vicissim in subditos cogitari tristius posse. Vndè Vergilius *in Eclog.* ait:

Quod nunquàm veriti sumus, ut possessor agelli,
Diceret hæc mea sunt, Veteres migrate Coloni.

Sunt autem Coloniæ cœtus hominum, qui ex publico civitatis suæ consensu, in locum certum sunt missi, eodem jure viventes. Itaque solebant Coloni effingere patriæ Simulachra, & eius plerunque nomine, Urbem, fluvios, ac montes afficere nominibus ijsdem; quod & Vergilius docet:

——— Effigiem Xanthi Troiamque videtis
Quam vestræ fecêre manus.———

Vndè etiam videtur natum, ut Corinthij exegerint à Corcyrensibus,

bus, ut Coloniæ in publicis sollemnitatibus, legitimos ac debitos honores redderent conditoribus suis. Quod tamen Corcyrenses ita interpretabantur, ut Colonia omnis, suam Metropolin honore prosequatur, si sibi ab eâ benè fiat: sin malè, ab eâ tanquàm novercâ secedere, jus fasq; esse. At Romani non honorem solùm, sed & obedientiam requirebant, in Colonosque Imperium sibi reservabant. Antè omnia verò ad defensionem Reipublicæ, milites ex formulâ paratos habere semper, ac si pluribus opus esset, plures dare, ac quicquid aliud imperaret, velletque populus Romanus, enixè facere tenebantur, ita ut salus publica ex ipsis pendere videretur. Casparus Facius, *polit. Livianæ, part. 2. arte.* 7. Idque ex eo liquet, cùm bello Punico ex triginta Colonijs, duodecim obstinatè negarent, Consulibus esse Milites, qui legerentur, & pecuniam, quæ in Stipendium daretur; tantus pavor hominum animis est injectus, ut magna pars, de Imperio actum esse reputaret. Ubique populus Romanus habitabat, dum Colonias in omnes provincias misit. At de Colonijs Romanis vide L' histoire de Lyon, de Guillaume Paradin. *lib.* 1. *c.* 7. Lipsius, *lib. admirandor. cap.* 6. Ac scribit item de Colonijs Græcorũ, *in Panathenaic.* Isocrates: exindè Græcos ditiores & copiosiores fuisse factos; magisque consensisse, tali & tantâ hominum multitudine liberatos. Barbaros extorres & profligatos, submissioribus animis; duploque maiorem fuisse Græciam, quàm initio fuerat, factam. &c. Pertinet hûc, quod habetur Exodi, *cap.* 23. *versic.* 29. Non ejciam eos anno uno, à facie tuâ, ne terra in solitudinem redigatur, & crescant contra te bestiæ: paulatim expellam eos, donec augearis. addatur Iudicum, *cap.* 1. *versic.* 28. Achilles etiam Traduccius; *in Turcâ Vincibili, tit. quomodo bello capta, retineri & defendi debeant, fol. mihi* 319. *& seq.* suadet, ut Coloniæ in Hungariam à Germanis deducantur.

V. Post Colonias optimus modus acquisitorum conservandorum est, institutio Timariarum. Amurathes, bello victis Principibus, non graviores imposuit pacis conditiones, quàm ut aulam suam sequerentur, & copias suas cum exercitu reliquo coniungerent. Eius filius Amurathes, ubi Bulgaros, occiso eorum Principe, domuit, alio efficacissimo remedio accrescendæ potentiæ usus est, Colonijs copiosissimis ad limites Imperij collocatis; prioribus & antiquis incolis, è proprijs sedibus aliò habitatum traductis. Traduccius, *dict. tractat. fol.* 207. *&* 232. Paulatim indè introductæ fuerunt Timariæ: quæ feudis non absimiles videntur, *arg. traditor. à David. Argentè notar. Iuris, tit. de feudis, fol. mihi* 217. *&c.* Iohanne Niellio, *Disput. feudal.* 1. *thes.* 1. & Charissimo Fratre meo, Iohanne Georgio Besoldo, *in Dissertatione de origine Feudorum.* Turcici autem Equitatus præstantia, in Spahis consistit; qui Stipendij

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 4, [56] - 56

pendij loco certos reditus habent, quos illi Timari vocant. Estque Timarum, pensio, vel assignatio quædam, redituum certorum, qui ex fundis percipiuntur, bello acquisitis: qui certâ proportione militibus distribuuntur, quorum præ cæteris magnanimitas emicuit, quique strenuam in bello operam navârunt. Etymologia est à voce τιμὴ dicta, quæ significat honorem: undè de Theodoro legimus, quòd à Licinio Augusto, arcem Heracleæ, acceperit invicem Timari. vide Lazium, Soranzium, *in Ottoman. lib. 1. cap. 15.* & Thesauri Politici Compilatorem, *part. 1. fol. mihi 116. relat. de Constantinopoli.* Veneti Imperium suum in Cypro ita firmare sategerunt: dum voluêre, ut omnes, qui ex Venetâ ditione oriundi, quinque ibi annis morarentur, nec mechanicum artificium exercerent, Privilegia Nobilium illius Regni obtinerent. Stephanus de Lusignan, *en la descript. de l' Isle de Cypre, cap. 17. fol. mihi 78.*

VI. Coloniarum autem deducendarum ratio multiplex est: Bodinus, *Method. historic. cap. ult. ad finem.* aut enim incolæ viribus hostium expulsi, sedes alias quærunt, ut Trojani post urbis eversionem in Latium: Hetrusci, qui & Tusci dicti sunt, à Gallis de Italiâ dejecti, in Rhætiam colonias deduxerunt. Phocenses Tyrannide Præfecti Regis Persarum afflicti, in Celticam sedes mutârunt, ut Iustinus scribit; ac Rempublicam Massilienſem condiderunt. Chananæi, ex agro Palæstino ab Hebræis ejecti, in Illyrium & Pannoniam navigârunt; ut Rabbi David Kimhi ad finem Abdiæ testatur. Deduci etiam Coloniæ solent, multitudine abundante, vel propter inopiam agrorum, aut intemperiem cœli Alij, inquit alicubi Seneca, longo errore jacti, non judicio elegerunt locum, sed lassitudine proximum occupârûnt: alij armis sibi ius in aliena terrâ fecerûnt: alios excidia urbium suarum, alios domestica seditio, alios superfluentis populi frequentia, ad exonerandas vires emisit; alios pestilentia, aut frequentes terrarum hiatus, aut intoleranda soli vitia eiecerunt, alios alia causâ excivit domibus suis. Vix ullam terram invenies, quam nûc indigenæ colant. Sed hûc maximè spectant Coloniæ eæ, quæ Imperij tuendi ac propagandi causâ suscipiuntur: quales fuêre Romanorum, quasque Hispani in utramque Indiam deduxerunt. Nec huc referendæ populorum emigrationes, quæ olim frequentissimæ fuerunt, quasque singulari & operoso opere, Wolffgangus Lazius describit. Sanè Gothi, qui magnam Europæ, Asiæ, & Africæ partem, suo Imperio subiecerûnt, ex Gothia, Suecorum haut ità magnâ provinciâ exierunt. (ita Sueci censent, vide Leges Suecorum, *lib. 2. cap. 1.* Retorsionem Iani minoris, adversus Petrum parvum, *in locis, quæ monstrat Index, in verbo, Gothorum*) Primam autem migrationem, multis ante Christum seculis fuisse factâ, Annales eorum adtestantur: & ex ijs inprimis Olaus Petri, ac Iohannes Magnus,

Magnus, *lib.1.cap.15.* quibus & exteri adstipulantur; Procopius, Iornandes, Kranzius &c. Mentionem item huius rei fecit Iohannes III. Rex Suecorum; cùm Stephani Poloniæ Regis Legatis, responderet: Gothos suos, eâdem Virtute militari, quâ olim orbem ferè totum devicerunt, adhûc præditos esse. Et itaque eam Livoniæ partem, quam iure optimo maxumo, suorumque fortitudine acquisitam teneret, nullo modo cedere Polonis; sed armis defendere velle. Laurentius Müller/ In seiner Septentrionalischen Historien/*part.1.fol.mihi* 30. Gothorum post emigrationem sedes variæ fuerunt. 1. Gothlandia. 2. Vandalia. 3. VValachia Hungariæ. 4. Thracia. 5. Asia. 6. Italia. 7. Gallia Aquitanica. 8. Hispania: cuius Reges, & familiæ omnes, Gothicam originem adhûc hodiè jactant. Videatur VVolffgangus Lazius, *de migratione Gent. fol. mihi* 577. Tradit verò probabiliter magis Ionas Koldingensis, *in suâ Daniæ descriptione, part.1. fol.mihi* 33. *&c.* Danos, Suecos, & Nortmannos, ortu ac genere Gothos esse; ac pro unâ eademque Gomericæ radicis stirpe sine omni ambiguitate reputandos, & Gothicum primum ac principalissimum nomen, genti Boreali universæ, primis temporibus impositũ esse. Ex ijsdemque locis & Cimbri fuerunt profecti. Ioh. Stumpff. *lib.4. cap.9. & lib.6. cap.27.* der Schweitzer Chronick. Altera insignis migratio & irruptio fuit gentium Sclavonicarum, quæ Henetæ linguæ Dialectos habent. Et tertia Arabum in Regiones Orientales. Ac hæ aliæque gentium peregrinationes, res omnes mortalium evanidas esse docent; nosque exules & errantes, donec in hac fragili cute hospitamur: monentque ut eas tanquàm fluxas & caducas despiciamus. Sed nec interim casu eæ evenerunt, verùm singulari providentiâ Divinâ, ad pœnam & correctionem veterum colonorum: ut subindè ingerit Salvianus. Evidentem etiam faciunt potentiam & Majestatem Divinam, quæ sibilo quasi vocat, gentes nobis ignotas. Cur autem eiusmodi hodiè transmigrationes haut in usu amplius sint, Stephanus Pasquier inquirit, *lib.1. des Recherch. cap.3 fol.mihi* 20. illudque exindè evenire putat; quia nempè fortitudo militaris degeneravit in callidam versutiam sedentariæ quietis: putatque Galliam, quæ olim innumeram bellatorum turbam effudit; nunc totidem Scribas, Notarios, Advocatos (*chiquaneurs & gaste papiers*) suppeditare posse.

VII. Est & genus Coloniarum, aut his non absimile, in captivis abducendis, populisvè transferendis vid. Campanell. *de Monarchiâ Hispanicâ, cap.11. fol.mihi* 38. & ita decem tribus Hebræorum primùm, deindè octogesimo pòst Anno, reliquæ in Chaldæam abductæ fuerant; & ferè in totum terrarum orbem dispersi paulatim. Cunæus, *lib. 1. cap. 15. fol.145. & lib.2. cap.23. de Republic. Hebræor.* Et mos Regibus fermè est,

eſt, gentes pro lubidine hûc illûc transferre, pecudum in morem; quas Paſtores nunc in hibernos, nunc in æſtivos trajiciunt ſaltus. Ita enim ingenia populorum emolliuntur, mutanturque; & qui in ſuo ſolo quodlibet audent, placidi ſunt, quietique in alieno. Et ſic Auguſtus, Germanos ultrà Albim fluvium ſummovit; ex ijſque Suevos & Sicambros, dedentes ſe in Galliam traduxit, atque in proximis Rheno agris collocavit. Suetonius *in vita, cap.* 21. ubi non placet correctio Caſauboni, qui alium pro Suevis populum ſubſtituere audet. nil enim certius eſt, quàm Suevos in agro circa Rhenum fuiſſe collocatos; eorumque poſteri & nos ſumus. Certè bellum, multiplices habere videtur fines: aliquandò excidio deletur, vel expellitur populus devictus (ut factum fuit Chananæis) aliquandò redigitur in ſervitutem (ita Franci in Galliâ, & Alemanniâ, Germani in Sclavonicis provincijs, ex habitatoribus fecerunt ſervos: ut dixi *libr.* 1. *politicor. cap.* 10. *ad fin.* aliquandò tributarius fit victus, & arma ei, nocẽdique adimuntur vires (ut Græcis faciunt Turci) aliquandò ſuis Legibus vivit, Imperiumque Victoris agnoſcit populus aliquis; huicque ſufficiẽs eſt à ſuo Præfecto regi, ſuoque præſidio provinciam teneri (& ita Hiſpaniæ, Italiæ, Belgiòque imperitant Hiſpani) interdum etiam ſolùm penſio datur (quemadmodum olim Regibus multis imperitarunt Romani) Ad hasque Differentias Livius reſpexit, easque ad duas ſpecies principaliores redegit; cùm ait: Cum Gallis pro ſalute; cum Carthaginenſibus pro Imperio fuiſſe pugnatum.

VIII. In locum Coloniarum, more quorundam, *Fortalitia*, vel Militum *Præſidia* perpetua ſubſtituta fuerunt. Ita præſidijs militaribus, ſtatutisque cuſtodibus ſervavit captam Idumæam David. 2. *Samuel.* 8. *verſ.* 14. Turrium etiam cuſtodum, mentio fit 4. *Reg. cap.* 17. *verſ.* 9. Et ſic tandem, ipſi quoq; Romani Imperatores, provincias ſuas, Cuſtodibus (quos in Clauſuris & Burgis ſervabant) ſoliti fuerunt retinere. Quorũ & *in l.* 2. §. *Et homines* 4. *C. de offic. præfect. prætor. Afric.* mentio fit. Adde Bernardo Aldrete, *lib.* 4. *d. varias antiguedades, cap.* 27. Ac ita totus olim Rheni tractus talia Caſtella & Burgos habebat. Nam ſic Ammianus Marcellinus *lib.* 28. *fol. mihi* 392. ſcribit: Valentinianus Rhenum omnem, à Rhætiarum exordio, ad uſque fretalem Oceanum, magnis molibus communiebat, caſtra extollens altius, & caſtella, turresque aſſiduas per habiles locos, & opportunos, quà Galliarum extenditur longitudo: nonnunquã etiam ultrà flumen ædificijs poſitis, ſubradens Barbaros fines. Mentionem etiam ibidem facit, munimenti celſi & tuti, quod ipſe Valentinianus à primis auſpicijs fundarat, præterlabente flumine Nicro. Memorat item Clariſſimus Freherus, *ad Auſonij Moſellam num.* 330. altas eas; rotundas turres, paſſim ad Rhenum, & ad Moſellam, in ſupercilijs mõ-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 4, [59] - 59

tium apparere, operis firmissimi, & utique à Romano illo ævo. Et addit: ijs posteriorem ætatem, plura ædificia & propugnacula, circumdedisse. Easque observare licere, in Mosellæ tractu, in plurimis castris, ac ad Rhenum in Germanicâ etiam ripâ, Hunnorum item tergo. Hocque pariter turrium genus, etiam in Gallicâ Franciâ, vetustissima Castella habere: quod quia ipsius Domini refugium atque receptaculum esset, *Donjon* quasi Dominicum, vocare solent. Ac Franci, pariter ut Romani, Bello partas provincias, Burgis conservârunt, eaque Nobilibus dederunt; quibus insuper servirent devicti, & rustici in vicinià habitantes. Ita uttàm ex Romanorum, quàm Francorum quoque Burgis, etiam in Germaniâ reliqua esse censeam, vetustissimorum castrorum, passim quæ obvia rudera sunt; multa tantùm nomine nota, soloque æquata, multa sunt, quorum etiam nomen ignoratur. Fuerunt etenim illa castella, vel ob loci incommoditatem, bellique mutatam rationem, sponte derelicta; vel quia pòst latronum receptacula fuerant facta, à Magnatibus destructa, & incensa. Guntherus *in Ligurin. lib. 5. vers. 213. &c.*

Adde quòd invictus discurrens undique Cæsar,
Prædonum castella, jugis horrentia summis,
Et vix spectandas celsis in rupibus arces,
Expugnare manu, sparsisque evertere muris,
Vrere vel flammis avidè properabat: & ipsos
Artifices scelerum, Regni turbare quietem,
Et miseros crebris solitos spoliare rapinis,
Vel cruce, vel gladio, vel longo carceris usu
Perdere gaudebat, non exorabilis ultor.

Similiumque vastationum, ubique Germanica Historia suppeditat Exempla.

IX. At verò medijs hisce Citadellis, & præsidio militari perpetuo; fructum Colonjarum, rectissimè Bodinus. *libr. 6. de Republ. cap. 2. num. 644. &c.* quàm longissimè præfert: adde Renatum de Lusinga, *lib. 1. de Increment. Imperior. cap. 3.* & Thesauri politici, *part. 2. cap. 7.* Compilatorem (qui pleraque ex Lusingano transcripsit) Et pariter contra Citadellas, prolixè disputat Auctor du Miroir Francois, *lib. 2. dial. 2. fol. mihi 591. & seqq.* Sanè Coloniæ à Citadellis & militaribus præsidijs, tantum distant, quantum à Naturâ, Vis. Hodiè ferè Principes (ait *dicto loco* Bodinus) victis urbibus, præsidia perpetua imponunt, quo nil intolerabilius est: quia nempè tantum abest, ut victi vincentium Imperijs assuescere condiscant, ut non prius à novandis rebus conquiescant, quàm aut præsidia interemerint, aut arces ceperint, aut Principes finitimos ac populos accersierint ad bellum. Si Reges Gallorum, Insubria capta, Colonias

nias eò misissent (ut quondam Celtarum Reges fecisse dicuntur) ea non tàm facilè à Francorum ditione ac potestate defecisset. Nec verò Hispani (censente Bodino) præsidijs militaribus, nullâ Coloniâ deductâ, perpetuum eius Regionis Imperium tuebuntur: ac Belgas jam pridem Colonijs Hispanorum, ad Imperium retinendum conjungi necesse fuisset. Undè & Campanella, varios præscribit modos, quomodò omnes Hispaniarum Regis ditiones, naturali ratione conjungi, & individuo quasi nexu misceri queant. Ex Coloniis quidem duæ consequentiæ admodùm periculosæ promanant. Prior ipsum Principem concernit, qui verorum & naturalium possessorum, quos agris & fundis, bonisque aliis spoliavit, eaque inter suos milites & colonos divisit, offensionem, immortaleque odium incurrit. Altera incommoditas, quam qui in coloniis nimium fiduciæ ponunt, experiuntur; novos respicit colonos. hi enim temporis successu; provinciæ, in quam deducti fuerunt, & climati, sub quo vivunt, moribusque cohabitatorum, ingenio & complexioni ita assuescunt; ut non minori desiderio ac studio, adquirendæ libertatis, quâ priores incolæ, in quorum locum illi successerunt, flagrent. Id quod faciunt præsertim coloniæ illæ, quæ longiùs à suâ origine distant. Attamè Lusitani, ne in Indiæ regionibus conservandis, inconvenientia similia paterentur; alium coloniarum deducendarum modum, & multò securiorem, minúsque iniquum excogitârunt; dum nempè novos colonos, non unâ vice, nec agmine immenso, sed paulatim itineribus diversis, in provincias recens inventas deduxerunt. Nec integras provincias novis colonis impleverunt; sed prout commodè in regione parta vivere poterant, paucos vel multos eò collocârunt: cumque necessarium videbatur, prioribus alios addiderunt; atque hâc ratione, Colonias paulatim iustâ hominum multitudine compleverunt. Goa omnium populosissima fertur, cuius incolæ affinitatis vinculo dudum coaluêre: illorum enim filias in matrimonium duxerunt, illisque suas vicissim elocârunt, ac hoc modo in unam quasi gentem coiverunt. Undè factum, ut nunc quietam & tranquillam invicem vitam degant. Hacque ratione, sensim, ut vix adpareat, Lusitanorum in illis provinciis multitudo augetur, & populus ad nomen & Imperium Lusitanicum promovendum, amplificandumque, semper promptissimus existit; & singulis annis, numerus colonorum confirmatur, atque augetur. Et has Coloniarum formas, multò securiores & tolerabiliores esse, quàm veterum coloniæ fuerunt; tempus, & quotidiana experientia testatum fecit: siquidem per illas, antiqui habitatores suis possessionibus nequaquam expelluntur, sed in ijs conservantur; & ut suis facultatibus frui tranquilliùs queant, ab omni vi & injuriâ defenduntur. Accedit etiam vinculum adfini-

tatis, ac consanguinitatis, quo incolæ veteres, cum colonis novis, animi affectu syncero, mutuaque benevolentiâ, uniuntur & consociantur. Romani sub finem Imperij sui, præsidiarios milites habebant, quibus non solùm parta tuebantur adversus hostes, sed & seditiones prohibebant. Verùm eorum insolentia, non infimum tenet locum inter causas perditionis Imperij illius. Aldrete. *dict. lib. 4. cap. 28.* Audiamus Procopium, *lib. 3. de bell. Gothic.* Romani exercitus Principes, & simul milites ipsi, res subditorum diripere, contumeliis & sceleribus nil reliquum facere, adamatasque habere in præsidiis fœminas, luxui ac temulentiæ operam dare. Italicis universis relinquebatur, ut ab utroque exercitu (hostili scilicèt & Romano) gravissima paterentur: nam & agris ab hostibus privabantur, & supellectili omni, ab Imperatoris, ut dominantis, militibus. Adhæc accedebat, quòd cùm rerum necessariarum inopiâ premerentur, ut vapulare impunè hi possent, & planè deperdi: nam & Romanos milites ipsos, cùm suos ab hoste tueri nequirent, ne suorum quidem fædè factorum pudebat; sed pro eorum sceleribus effecêre, ut Itali Barbarorum desiderio tenerentur. Item scribit Salvianus, *libr. 4.* Intereà, inquiens, vastantur pauperes, viduæ gemunt, orphani proculcâtur in tantum, ut multi eorum, & non obscuris natalibus editi, & liberaliter instituti, ad hostes fugiant, ne persequutionis publicæ afflictione moriantur: quærentes scilicèt apud Barbaros Romanam humanitatem, quia apud Romanos Barbaram inhumanitatem ferre non possunt.

X. Inprimis item prodest ad Imperij novi confirmationem; per provincias devictas propagatio Linguæ, Morum, Legumque, quibus utitur victor, & est sanè de iure Victoris, mutare Linguam, imponereque suam. Louys Guyon *tom. 1. de diverf. lecons lib. 2. cap. 2.* Et Valerius Maximus, *lib. 2. cap. 1.* testatur, Magistratus Romanorum operam dedisse, ut lingua eorum diffunderetur: & Græcis non permissum fuisse agere cum Romanis, ne in Græciâ & Asiâ, nisi Latinè. Prudenter hâc de re Beatus Rhenanus, *rer. Germanic. lib. 2. ad fin. fol. mihi 210.* O miram, inquit, Romanorum dexteritatem, & indicibilem felicitatem! Et non miretur quis, eripi non potuisse Romanis provincias, quæ non minùs Romanæ erant, quàm ipsa Roma. Et idem namque Rhenanus, *libr. eod. fol. 207.* ubi de Provinciarũ Linguâ tractat: Transdanubianæ, ait, provinciæ, Rhætia prima & secunda; atque Cisrhenanæ provinciæ, Rhætiæ prima pars, pars Maximæ Sequanorum, Germania prima atque secunda, postquam à Romanis sunt subactæ, sermonem Romanum omnes acceperunt. Vide Iustum Lipsium, *de pronunciat. Latinæ Linguæ, cap 3.* Guilelm. Perkinf. *in ementito Catholicismo, fol. mihi 327. & seq.* Isaacũ Pontanum *Origin. Francic. lib. 6. cap. 24. fol. 599.* Me *in Dissertatione, de Linguarum*

*gnarum mutatione, num.*18. Velleius; qui vixit Tiberio imperante: In omnibus, inquit, Pannonijs non disciplinæ tantummodò, sed Linguæ quoque notitia Romanæ, plerisque etiam litterarum usus, & familiaris exercitatio erat. Gallis certè communiter notum erat idioma Latinum, In Concilio Turonensi *3.cap.17.* Anno Christi 770. jubentur homiliæ verti in rusticam Romanam Linguam, aut Theotiscam (quam Franci Galliæ intulerunt, & quæ in civitatibus, apud Nobilesque frequés erat) quò faciliùs cuncti intelligere possint, quæ dicuntur. vide Estienne Pasquier, *lib.7.des recherch.cap.*1. Quâ & occasione de Gallis agens Strabo Augusti iam ævo: negat dicendos eos ultrà Barbaros; utpotè mutatos in Romanum morem, & linguâ & vitâ, quosdam & civili gubernatione. Abiêre etiam in mores & civilitatem Romanorum, Linguamque Latinam accepêre Lusitani, cæterique Hispani. Aldrete, *lib.1.cap.11. & seq.* ubi multa de hocce Romanorum instituto. Sicque Strabo, Turdetani, maxumè qui ad Bætin sunt, planè Romanos mores assumpserunt: ne sermonis quidem vernaculi memores, ac plerique facti sunt Latini, & colonos acceperunt Romanos. Fuit & in Africâ, Latina Lingua, vulgo quoque admodum frequens. Aldrete *lib.3.cap.26.* Rectè itaque Beatus Augustinus, *lib.19.de civitate Dei, cap.7.* Data est opera, ut civitas imperiosa, non solùm jugum, verùm etiam linguam suam, domitis gentibus per speciem societatis imponeret. Quod Plinius *lib.7.cap.5.* benefic-tiam interpretatur, in laudibus Italiæ ita loquens: populorum discordes, ferasque linguas, sermonis commercio contraxit ad colloquia, & humanitatem homini dedit. Et sanè adeò frequens in Galliâ & Hispaniâ, Latina fuit lingua, ut frequentissimæ Barbarorum illas in provincias excursiones, corrumpere, non abolere illam potuerint prorsus, Et nempè absonus planè est Leonhardus Aretinus, qui *Epistolar.libr.6.fol.* 273. vulgus, & litteratos (etiam Ciceronis, seculo) Romæ, haut idiomate eodem fuisse loquutos censet: quamvis Dialectum Rusticorum, aliam fuisse lubens concedam ; ut probat, quod ex Varrone refert idem Aretinus. Quòd nempè rustici pro villâ, vella dicunt, & pro vectura quoque vellatura: ac pertinet huc, quod Livio Patavinitas, nescio quæ, fuerit objecta. Sanè Gallia olim usa fuit Germanicâ linguâ; potissimum in Celtis: ut vel invito Rhenano, *fol. mihi* 210. probant: Ægid. Schudi. *in descript. Rhæt. cap.38.* Isaacus Pontanus, *in Itinerar. Gall. Narboneins. & lib.6. orig. cap. ult. fol.*608. *&c.* Ego, *de Linguar. mutat. num.*21. Et testantur hoc, quæ passim habent Historici veteres Celtica verba. Alpes, Ambactus, Bodinc, Bodincus, Brogæ, Bulgæ, Celtæ Dunum, Eporedicus, Galban, Magum, Marcha, Marga, Rheda, Soldurius, Vesus, Uri. &c. Addatur Cluverius, *German. lib.1.cap.5. & seqq. aliquot.* Guilielm. Paradin. *tract. de antiq.*

Stat. Burgund. cap. 15. Cambdenus, *in Britan. à princip.* Lingua hæc magnam partem cessit Latinæ; & ea Barbarorum incursione corrupta, in illam, quæ nunc in Italiâ, Galliâ & Hispaniâ viget, commutata fuit. Qua de re pluribus ago *in dict. Dissertat. de linguar. mutat. per Discurs.*

XI. Alij, nil amplificandæ Reipublicæ consultius esse autumant; quàm bello acquisitas possessiones ac nationes, in provinciæ formam redactas, erigere in Ducatus, Marchionatus, aliosque Principatus & Comitatus; ex militibusq; nobiles facere, ac ijs assignare certa castella. Quâ ratione, illustri fidelitate, illustrius Imperium effici solet: quem moré Franci, Carolus item Magnus, & etiam Imperatores adprobârunt Germani. Herman. Kirchner. *de Republ. Disputat. 16. thes. 3. lit. a. & Disputat. 17. thes. vlt.* Eamque consultiorem, tum propagationi, tum conservationi judicaverunt; quam priorem Orientalis Imperij rationem, per Præsides & Prætores precarios, gubernationis administrandæ. Vulteius, *lib. 1. de feud. cap*; 1. Reinking, *lib. 1. classs. 4. cap. 16. num. 13. & seqq.* Feuda item stabiliunt Imperia, ac conservant noviter parta. Eaque Longobardorum moribus genita, & introducta (videatur Dissertatio Fratris mei Iohannis Georgij Besoldi, *de origine Feudorum*) utilitate & præstantiâ, omnibus ferè Regnis & populis sese insinuârunt, & quasi ultrò susceptа, & evocata, magno omnium favore dominari cœperunt. Paulus verò Busius, *lib. 1. de Republ. cap. 12. in fin.* hâc in parte ita distinguit: ut quidem prædia & arces in Feudum conferri utile ducat; quò sint qui exigente occasione, militent sumptibus suis; Regiones verò integræ conferantur parum tutè. Idque Imperatorem Turcarum pro more habere, eaque re munimen sibi Imperij firmissimum esse reputare. Ast maximè, hac in re, ad hypothesin, seu materiam subiectam, variasque circumstantias est respiciendum: nec in thesi aliquid statui potest. Et pariter non hûc meretur referri, modus ille; quem nonnulli usurpant: occidere nempè & pellere veteres colonos, ut posteà vacuæ regioni dominari possit. *Pietra del Parag. d. Boccalini, cap. 10. fol. mihi 38.*

XII. Sed quid si Feudum ad Imperium revertatur; quomodò id alteri concedi potest? Sunt sanè qui negant, Imperatorem, sine Procerum assensu, de membris Imperii insignioribus, in casum etiam caducitatis, aliquid disponere posse. vid. Rosenthal. *de feud. cap. 10. conclus. 11.* & Betsium, *tract. de pact. illustr. famil. fol. mihi 552.* Undè subverentur nonnulli, ut Ius, quod Serenissimi Saxoniæ Duces, in Clivia, & Iuliacensi Ducatu, prætendunt; in concertatione acutiori defendi queat. Verùm infirmioris momenti hæcce ratio est, & habet multos, maxumæque auctoritatis contradictores. Magis urget, quod aiunt, Iuliacensem, Bergen-

Bergensèmque Ducatum, tanquam Feudum (pariter ut omnes vicini Principatus) ad Fœminas transitorium, à Friderico III. & Maxæmiliano I. Imperatoribus, Saxoniæ Duci Alberto, in præiudicium legitimorum heredum concedi haut potuisse. Vide den kurtzen Special Bericht / von dem vermeinten Sächsischen Interesse. &c. Coloniæ, Anno 1610. impressum, & alia magis recentia scripta. Sed & hac in parte ego iure amplio; nec judico de ignotis.

FINIS.

A. T. S. †. C. T. C.

ELENCHUS CAPITUM.

I. *Amplificationi, seu augmento Reipublicæ operam dandam esse.* 3

II. *De Reipublicæ interno augmento im: primis autem, de Ædificiorum splendore.* 5


III. *De Amplificatione, seu Externo Incremento.* 15

IV. *Continens Conjectanea de Novo Orbe.* 26

V. *De Pacificâ, seu Voluntariâ Imperij Amplificatione.* 45


VI. *De Extensione Territorii Violentâ: ac quomodo novum Regnum conservetur atque firmetur. Vbi plura de Coloniis, Castellis &c.* 51

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 4, [65] - 65



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 4, [66] - 66




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 4, [67] - 67




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 4, [68] - 68




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 4, [69] - 69




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 4, [70] - 70




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 4, [71] - 71



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 4, [72] - 72



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 4, [73] - 73
PUBLIC DOMAIN